



Specimen exegetico-theologicum exhibens Jesu doctrinam de resurrectione mortuorum

<https://hdl.handle.net/1874/301656>

SPECIMEN EXEGETICO-THEOLOGICUM

EXHIBENS

JESU DOCTRINAM DE RESURRECTIONE MORTUORUM.

362

SPECIMEN EXEGETICO-THEOLOGICUM

EXHIBENS

JESU DOCTRINAM DE RESURRECTIONE MORTUORUM,

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

P E T R I H A R T I N G,

M.D. ET ART. OBST. DOCT. ET MATH. ET POU. NAT. PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTIT

EVERARDUS HENRICUS VAN LEEUWEN,

ZALT-BOEMELIENSIS.

A. D. XXII. M. MARTII, ANNI MDCCCLIX, HORA I.

TRAJECTI AD RHENUM,

APUD J. H. S U D D R É

MDCCCLIX.

MORGTHONIUS ETIOLOGIA IN PRACTICO BELL

ANATOMIA AC PHYSIOLOGIA

PHYSICO-MATHEMATICA

PHYSICO-MATHEMATICA

PHYSICO-MATHEMATICA

PHYSICO-MATHEMATICA

PHYSICO-MATHEMATICA

PHYSICO-MATHEMATICA

PHYSICO-MATHEMATICA

PHYSICO-MATHEMATICA

PHYSICO-MATHEMATICA

P A T R U I S

HENRICO VAN LEEUWEN

ET

ABRAHAMO VAN LEEUWEN

SACRUM.

聖經全書

新舊約全書

聖經全書

L. S.

*Ipsi, quam tibi offero, Lector Benevole! disquisitioni
nulla mihi videbatur opus esse praefatione; ejus nimurum
argumentum, indolem, conceptionem Introitus illustrat.
Propterea valde gaudeo, in praefationem tamen convenire
poeticum illud dictum: »hoc opus, hoc studium parvi pro-
»peremus et ampli»; etenim, praefationis instar, speci-
mini meo nonnulla nunc praemittenti, pio fungi mihi
licet officio, dulci vitae Academicae memoria imposito.
Gratum scilicet me pellit pectus, ut eloquar, quorum, Aca-
demicis studiis finem nunc imponens, immemor esse nequeo.
Ac primo quidem me vos hic spectare, Patrui carissimi!
Qui hasce studiorum meorum primitias vobis dedicarem*

sivistis, quis mirabitur non nesciens quantum in carissimis summisque meis votis consequendis vobismet ipse debeam? Quid autem multa? ubi ne multis quidem facile digneque enunciarem quali pietatis vinculo vobis me sentiam obstrictum! Deum O. M. precor, ut optima sua vobis tribuat beneficia, ac, quibus conjungimur, vincula firma semper sanctaque esse velit per summum, quo precor Ipsum ut amplectamur, amorem!

Tibi vero, vir clar. VINKE, Promotor aestumatissime! mente cum revollo quot quantaque, in dissertatione mea confienda, a te acceperim humanitatis ac benevolentiae specimina, quomodo amice me recipere monitisque tuis me adjuvare nunquam recusavisti, in memoriam cum rero co annos, per quos scholis tuis interesse mihi contigit, summas tibi agere gratias mihi est religio. Diu te servet incolumem Deus O. M. studiosorum ducem, in ecclesiae et hujus Academiae salutem!

Nec minus, studia mea Academica respicientem, vos pie commemorare, viri clarissimi BOUMAN et TER HAAR, me monet lectionum vestrarum recordatio. Nunquam, spero, ex memoria deponam quae monitis vestris, quibusque interesse mihi contigit lectionibus, in studiis meis promovendis me debere grato animo fateor.

Ceterum, quotquot mihi fueritis et in Academia et antea Praeceptores, benevole, precor, accipiatis sinceras, quas vobis habeo gratias. In quibus te in primis compellare juvat, vir doct. n. c. PLEYTE, Gymnasii Zalt-Boemeliensis olim, Leovardini nunc Rector aestumatissime! qui pro singulari, qua studiorum meorum suisti hortator et auspex, benevolentia ac benignitate, summum in temporis acti grata mea memoria occupies locum omnino fas est.

Vos denique sodales, probi amici! quos non charta, sed amicum meum alte praedicat celebratque pectus, vos, quorum amicitia mihi fuit nec unquam non sit laeta vitae lux, vos felices esse velit Pater coelestis, mei estote mentes, vivite, sic vivet amicitia!

Scripsi TRAI. AD RHEN.
q. XIV mens. Martii a. CIOCCCLIX.

etiam si nichil de illis idem pergitur. Porro
cum certe nullus potest esse plausibilis, ut nullus
huiusmodi sit etiam si natus est. Ceterum, si huius
naturae nullus sit, non potest esse. Quia si
huiusmodi sit, non potest esse. Non potest esse
huiusmodi, non potest huiusmodi non potest esse.
Hoc est, quod dicitur, non potest esse. Non potest
esse, non potest non potest esse. Non potest
non potest non potest non potest esse. Non potest
esse, non potest non potest non potest non
potest esse. Non potest non potest non potest
non potest non potest esse. Non potest
non potest non potest non potest non
potest non potest esse. Non potest
non potest non potest non potest non
potest non potest non potest esse.

CONSPECTUS.

	Pag.
INTROITUS.....	1.
BREVIS CONSPECTUS HISTORICUS.....	4.
SECTIO I. JUDAeorum, Jesu aequalium, de resurrectione mor-	
tuorum sententia.....	24.
§ 1. <i>De fontibus, e quibus cognoscitur Judaeorum, Jesu aequalium,</i> <i>de resurrectione mortuorum sententia.....</i>	24.
§ 2. <i>Judaorum, Jesu aequalium, de resurrectione mortuorum</i> <i>sententia.....</i>	29.

SECTIO II. JESU DOCTRINA DE RESURRECTIONE MORTUORUM.....	43.
§ 1. Inquiritur in eam Jesu de resurrectione doctrinae partem, qua a Judaeis ipsum recedere diserte significavit.....	44.
§ 2. Inquiritur in eam Jesu de resurrectione doctrinae partem, qua a Judaica doctrina ipsum recessisse disertis verbis non docemur	49.
CONCLUSIO.....	84.

INTROITUS.

Animo humano insita est, ac propterea firme infixa, vitae hanc vitam terrenam consecuturae exspectatio. Quaenam autem hominis erunt fata post mortem? Nullo non tempore magni momenti habita est ea quaestio; quod docent omnium fere gentium, omnium saeculorum hac de re philosophemata; en! quot conatus, velamentum retrahere, quo, hac vita finita, hominis sortem mors occultat! *Vani* conatus! nihil certi duntaxat docuerunt; nec mirum, nam: οὐδεὶς ἀναβέβηκεν εἰς τὸν οὐρανὸν, εἰ μὴ ὁ ἐν τῷ οὐρανῷ καταβάς, ὁ νιός τοῦ ἀνθρώπου, ὁ ὡν ἐν τῷ οὐρανῷ. CHRISTUS tandem clara fidaque luce immortalitatem superfudit. Quanam autem luce sacra scriptura depingit res post mortem futuras tum singulis, tum cunctis hominibus? Tales quaestiones nostro quoque tempore diligenter repetitae et studiose agitatae sunt. Progredientes in via historica, scientiae theologieae nunc munita, eschatolo-

giam novo examini theologi subjecerunt; formâ eam exuere studuere, quo veram ejus indolem melius cognoscerent; ac multum omnino lucis illam disquirendi methodum jam attulisse, nec parva res etiam eschatologicas illi debere, quis negabit? At vero magnum hic imminere periculum, haud difficile est intellectu; etenim quam facile una cum rei forma ipsa res vel hujus saltem pars abjici potest! quam facile ad rei formam pertinere aliquid videri potest, quod revera ad veram ejus indolem pertineat; ita nucleus amittitur, dum abjiciuntur putamina. Utrum periculum illud ego evitaverim, ipsa dijudicet disquisitio.

Versabitur disquisitio mea in ea eschatologiae parte, quae est *de resurrectione mortuorum*, et, ut accuratius definiatur, ceteris N. T. scriptis exclusis, ea tantum tractabit, quae ipsum CHRISTUM hac de re docuisse tradunt Evangelia. "Tradunt," inquam "Evangelia"; quaestio nimiram mere erit exegetica, neque igitur discernere conabitur, quaenam sermonum tractandorum pars (si quando ulla), quantumve eorum indolis (si quidem ita), qua auctores ea acceperint reddiderintque rationi, quaenam quantumve ipsi CHRISTO sint tribuenda, quum contra, nisi concedat quis, ipsa CHRISTI verba reddidisse Evangelistas, illa quaestio praesenti nostro specimini in medio sit relinquenda. Hoc igitur modo methodum sequar, qua distinguuntur et dividuntur quae distingui dividique possunt, ac simul campum ingredi abstineo satis late patentem, qui theologo tironi, ut deerret et confundatur, magna offerat pericula. Ad mere exegeticam illam disquirendi rationem hoc denique pertinet, quod philosophicae quaevis argumentationes, objections, consultationes, hac in

causa vulgo obviae, accurate emittantur, quoad certe ipsius exegeseos indoli ejusmodi omissio haud repugnet. Quaestio igitur ita circumscribitur: »quid, testibus Evangelii, IESUS docuit de resurrectione mortuorum?“ praetermissa altera illa quaestione: »num, et, si ita, quomodo doctrina illa in concordiam redigi potest cum philosophiae, experientiac, rationis humanae effatis?“ — Tantum de disquisitionis indole et amplitudine.

Disquisitioni praemittatur dogmatis brevis conspectus historicus, unde patebit, quid de eo statuerit ecclesia, quid variis temporibus alii aliter de eo senserint theologi. Ipsa autem disquisitio bipartita erit. SECTIO I exponet *Judeorum*, Jesu aequilibrium, de resurrectione mortuorum notiones. SECTIO II Evangeliorum hac de re effata spectabit, quae, cum *Judeorum* notionibus comparata et religiose ponderata, de IESU doctrinæ vera significatione nos reddent certiores. In conclusione denique sparsa breve congerentur.

BREVIS CONSPECTUS HISTORICUS.

Resurrectionis mortuorum placitum e Judaismo in CHRISTI religionem transit, multis tamen nominibus transfiguratum ac emendatum. Quid ipse hujus religionis auctor de eo docuerit ex ipsa hac nostra disquisitione deinde apparebit. Apostolos quod attinet, quamvis nollem facere cum iis, qui statuant, in dogmatum historia S. S. scriptorum commemorationem haud requiri¹⁾, nunc tamen eos praeterire luet, quippe qui ita de resurrectione disseruerint, ut uno verbo non auderem constituere id de quo tantus semper fuit virorum doctorum dissensus. Itaque, quum verbo sufficiat hic memorare, jam tempore Pauli

1) Vid. BERTHOLDT, *Handb. d. Dogmengesch.* I, p. 23: »Die Dogmengeschichte sieht die Sache bloss allein von der historischen Seite an, d. h. sie fragt: in welchen Sinne haben die Christen des ersten Jahrhunderts die Lehre Jesu und der Apostel aufgefasst?« — Cf. contr. HAGENBACH, *Dogmengesch.* § 1, 3. — GIESELER, *Dogmengesch. ed. REDEPENNING*, § 3.

Apostoli extitisse inter Christianos resurrectionis doctrinae adversarios ¹⁾, ordiamur a Patribus apostolicis, quorum vero eschatologiam paululum tantum explanatam deprehendimus; quod mirum videri posset, quia ipsas res eschatologicas prae ceteris theologicae doctrinae partibus prima ecclesia curabat; illi vero, vel ipsius eschatologiae, exiguae elaborationi idonea est causa: etenim stabant Patres in S. S. effatis et auctoritate, nec effata illa supergrediebantur, quae contra simpliciter recipere et exhibere iis placuit; omnia supervacua videbantur primis Christianis, dummodo Jesu historiam veram, ipsum Messiam haberent.

In epistola BARNABAE, quae ceteroquin chiliasmum omnino redolet, unicus exstat locus, ubi de resurrectione sermo est ²⁾. Idem valet de *Pastore HERMAE* ³⁾. De ΠΑΡΙΑ, qui haud minus favisce videtur Chiliasmo, certi nihil definiri potest, quum hujus opus (ξηγήσις τῶν κυρ. λογ.) perditum sit. Plura jam offert CLEMENS Rom., qui pro resurrectione nonnulla attulit argumenta ⁴⁾, prima, quae cognovit historia. In altera Clementis

¹⁾ 2 Tim. II: 17, 18. De his vid. i. a. USTERI, *Paul. Lehrb.* ed. 6^a, p. 344 sq. Cf. BOSVELD, ad 1 Cor. XV, p. 101 sq.

²⁾ Cap. 21. Αὐτὸν ἀνάστασις, διὰ τούτον ἀνάποδος.... Εγγὺς γὰρ ἡ ἡμέρα ἐν ᾧ συναπολεῖται πάντα τῷ πονηρῷ. Εγγὺς δὲ κίρρως καὶ ὁ μισθος αὐτοῦ.

³⁾ Vis. II, cap. 2. »Impleti sunt dies poenitentiae omnibus sanctis. Gentibus autem poenitentia usque in novissimo die." Cf. Vis. I, c. 3.

⁴⁾ Ep. I ad Cor. c. 24, 25. καταροήσωμεν, ἀγαπητοί, πῶς ὁ δεοζότης ἐπιδεικνύται διηγεῖται ἡμῖν τὴν μέλλουσαν ἀνάστασιν συεσθαν. Ἰδωμεν, ἀγαπητοί, τὴν κατὰ καιρὸν γινομένην ἀνάστασιν. Ήμέραν ταῦτα ἀνάστασιν ἡμῖν δηλοῦσιν... Deinde ὅρεον, ὁ προσορμάζεται Φοῖνξ, avis sc. reviviscens post quoddam tempus, alii praebent resurrectionis exemplaria.

ep. ad Cor. carnis resurrectione discrete defenditur¹⁾). POLYCARPUS piorum tantum resurrectionem prosteri videtur; quoniam autem sensu (vel carnis vel sensu spirituali) non liquet²⁾). Quae in IGNATHI epp. inveniuntur haud multum praebeant lucis³⁾.

Et haec quidem primaria de τῇ ἀναστάσει sunt effata, in Patrum App. scriptis obvia. Post aevum tandem apostolicum magis elaborari coeptum est hoc nostrum placitum. JUSTINUS M. variis in scriptis fusius de eo loquitur⁴⁾, ejusdemque corporis restitutionem a gnosticorum objectionibus defendit⁵⁾, argumentis depromptis tam e S. S., tam e natura et Dei proprietatibus. Christus omnium hominum corpora in altero ipsius adventu resuscitabit, improborum εἰς τοὺς αἰώνιους πόρους πέμψει, proborum ἐνδυσηῖς ἀφθαρσίαν⁶⁾. THEOPHILUS Antiochenus, cuius argumentatio cum Clem. ac Just. fere convenit «ἀνεγείρεται» inquit σοῦ τὴν σάρκα ἀθάνατον σὺν τῇ ψυχῇ ὁ Θεός⁷⁾.”

In ATHENAGORAE libro *de resurr.*, quamvis de carnis restitutione non discrete loquitur, idem tamen homo resuscitari pro-

1) *Cap. 9.* ναὶ μὴ λέγετω τις ὑμῶν, δὸν αὐτῇ η̄ σάρξ οὐ κρινέται, οὐδὲ ἀνοτάται... ναὶ ἡμεῖς ἐν ταυτῇ τῇ σαρκὶ ἀποληφομέθο τὸν μίσθιον.

2) ὁ δὲ ἐγειρας αὐτον ἐν νεκρῷ, ναὶ ἡμᾶς ἐγειρει ι. τ. λ. ad *Phil.* c. 5.

3) Cf. MÜNSCHER, *Dogmengesch.* III, p. 443.

4) *De resurr.* — *Apol.* I. — *Dial. c. Tryph.*

5) Vid. JUSTINI argum. ap. CORRODI, *Krit. Gesch. d. Chil.* III², p. 476 sq. FLÜGGE, *Gesch. d. Glaub. an Unsterblik.* etc. III, 1, p. 99 sq. MÜNSCHER, op. 1, p. 441 sq.

6) *Dial. c. Tryph.* cap. 5.

7) *Ad Autolycum*, lib. I, c. 7.

Ponitur ¹⁾; primarium argumentum ei est Dei justitia; etenim non anima seorsum bene agit vel peccat, sed totus homo; nisi igitur injuste agere velit Deus, restituat olim corpus necesse est, ne absque hoc sola puniatur praemiove donetur anima.

Constitutiones apost., quarum vero actas magna cum fiducia definiiri nequit, de resurrectione diserte agunt; illis testibus ²⁾, ecclesiae erat doctrina, Deum aliquando per Christum resuscitaturum esse omnes homines, qui inde a mundi initio mortui sint, ac eos quidem τοιουτον, δόποιοι ὑπάρχομεν ἐν τῇ νῦν θορῃ, μηδὲν ἐλλειπέσθαι τας η τῇν φθοράν. Quocum convenient *Symbolum apost.*, verbo monens: »credo remissionem peccatorum, resurrectionem carnis et vitam aeternam," et *Symbolum Nic.* »Exspecto resurrectionem mortuorum et vitam venturi saeculi"; fusiū est *Symb. Athan.* »ad cuius adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis... et qui bona egerunt ibunt in vitam aeternam, qui vero mala in signem aeternum."

Omnes fere scriptores, hucusque memorati, resurrectionis dogma separatum proponunt a Chiliasmō; aliter vero IRENAEUS, cui carnis resurrectionis fides cum systemate chiliastico arcte cohaeret ac huic quidem consequens est ³⁾. Argumenta ejus fundata

1) *De resurr.* § 25: δεὶ καὶ τοὺς αὐτοὺς ἀρθρώποντος συστήνει πάλιν. — ἀπὸ τῶν αὐτῶν καὶ τάλιν τὰ σώματα συστήνει.

2) Lib. V, c. 7.

3) *Adv. haer.* lib. I, c. 19: »qui quidem (haereticī) resurgent in carne, licet nolint, uti agnoscant virtutem suscitantis eos a mortuis, cum justis autem non adnumerabuntur, propter ineredibilitatem suam."

sunt in S. S. effatis (e. g. Jes. XI: 6. Mt. XXVI: 29, al. impr. Apocal.), in Christi incarnatione, in eucharistiae usu, etc.¹⁾; duplēm porro profitetur resurrectionem²⁾. — Vehementes deinde carnis resurrectionis patronos se praestitisse MON-TANISTAS a priori jam statuere licet, quod vero TERTULLIANI scripta affirmant³⁾. Infinitam fere argumentorum ei affert Sacra S. seriem, quorum unum juvat memorare: »Quum Moses manum in sinum condit et emortuam profert et rursus insinuat et vividam explicat — nonne hoc de toto homine portendit⁴⁾?" Repugnantium autem dubitationes audacibus redarguit affirmationibus: »sed accepisti homo os ad vorandum atque potandum; »cur non potius ad eloquendum, ut a caeteris animalibus distes? »cur non potius ad praedicandum Deum, ut etiam hominibus antistes?" eet., quibus verbis respondet ad quaestionem, quid usu futurum sit in resurrectione variis corporum membris. TER-

1) *Adv. haer.* lib. V: »Sic et nostra corpora ex ea (eucharistia) nutrita et reposita in terra et resoluta in ea, resurgent in suo tempore, verbo Dei resurrectionem iis donante in gloria Dei Patris." — »Si enim non haberet caro salvari, nequaquam verbum Dei caro factum esset. Et si non haberet sanguis justorum inquiri, nequaquam sanguinem habuisset Dominus."

2) Vid. ERASMI *arg.* in lib. I.: »quin potius duplēm sentire videtur resurrectionem, primum animarum, mox corporum," a quo dissidet GIE-SELER o. I. p. 241, qui duplēm resurrectionem eum docuisse omnino statuit, sed Apocalypses potius sensu.

3) *De res.* c. 63: »resurgit igitur caro et quidem omnis et quidem integrata." C. 42: »constat non tantum ossa durare, verum et dentes incorruptos perennare, quae ut semina retinentur fructificaturi corporis in resurrectione." Cf. *de anima* c. 58.

4) *De res.* c. 28.

TULLIANO proprium est, quod non omnes simul sed pedetentim resurgere mortuos statuit 1).

Ceteros hujus periodi doctores, crassiori resurrectionis doctrinæ ad unum sere omnes faventes, TATIANUM 2), CYPRIANUM 3), NOVATIANUM, al. verbo memorasse sufficit, quippe qui vel obiter placitum tetigerint, vel majori pro parte praecedentium monita repetant. His omnibus fusius rem exponit METHODIUS, qui contra ORIGENEM carnis resurrectionem propugnat, variisque allatis exemplis, copiose illustrat 4).

At si multi insignesque fuere doctrinæ fautores, neutiquam defuere adversarii, GNOSTICOS dico et ORIGINISTAS, quibuscum orthodoxæ s. ecclesiasticeæ doctrinæ haud leve fuit perfendendum certamen. GNOSTICOS nimirum carnis resurrectio multum offendebat; corpus enim iis erat onus et ad perfectionem impedimentum; tum resurrectionis negatio cum dualismo arcte iis cohaerебat. Ita e. g. SATURNIANI angelos quosdam habebant hominum creatores, s. non hominum proprie, sed massæ cuiusdam deformis, quam vero Deus, motus misericordia, colestis lucis scintilla vivam reddiderit; scintilla autem illa ad fontem suum regressa, corpus in nihilum redigitur. Simili sere modo

1) *Contra Marc.* l. III, e. 24: »post ejus mille annos, infra quam valetatem concluditur sanctorum resurrectio, pro meritis maturius vel tardius resurgentium» cet. — Cf. *de Tert. CORRODI* o. l. II, p. 470 sqq. — TELLER, *De res. carnis per IV priora saec.* — MÜNSCHER in: DENKII *Mug.* VI, p. 245 sq.

2) *Or. ad Graec.* c. VII, XXV.

3) *Ep. 73:* »Jesus — qui resurrectionem carnis per semet ipsum initavit et discipulis suis, quod in eadem carne resurrexisset, ostendit.»

4) Cf. MÜNSCHER, *Dogmengesch.* II, p. 473.

statuebant BASILIDIANES, CARPOCRATIANES, ceteri, cuncti in eo concordantes, quod corpus futurae salutis posse particeps esse negarent¹⁾. MANICHAEI denique, materiae nullam partem felicitate dignam censentes, corporum resurrectionem fabulam habebant, et, de resurrectione loquentes, intelligebant animi a carnis cupiditatibus liberationem.

Accedimus ad doctores Alexandrinos, CLEMENTEM et ORIGENEM, qui inter utramque partem, orthodoxam sc. et gnosticam, medium tenuere, corporis resurrectionem omnino agnoscentes, a rudi vero crassa que ista informatione eam purgantes. CLEMENS²⁾, qui de resurrectione separatum scripsit opus, quod vero perditum est, Platonis sententia recepta, corpus terrestre animi emendationi obstat, divini λόγου beneficiis annumerat, quod a servitute carnem ille liberaverit, immortalitate induerit. Memoria vero dignior est hac in causa, Clementis discipulus, ORIGENES; in hujus sententia explicanda paulo diutius commorari juvat, quandoquidem omnium hujus periodi doctorum ille propius a biblica doctrina videtur distare. Cum ecclesiae doctrina ORIGENES universe profitetur corporis, et ejusdem quidem corporis, resurrectionem³⁾, sed

1) Longum est, singularum harum sectarum subtilia systemata fuse hic recensere. Absoluta enim earum resurrectionis negatio toto eam sistente tam arce cohaeret, ut illa absque hujus expositione plane intelligi nequeat. — De iis cf. TELLER o. l. p. 143 sqq.

2) *Paedag.* lib. II, c. 10: «καταργησάντες δέ τὰ τῆς σαρκὸς ἴγρα, αὐτὴν καθαρὴν τὴν σαρκὶ ἐπενθυσάμενοι τὴν ἀφθαρσίαν, τὸ πρός μέτρον τῶν ἀγγέλων διώνομεν.

3) *De princ. provem.* § 5: «docetur... et quod erit tempus resurrectionis mortuorum, cum corpus hoc, quod nunc in corruptione seminatur, surget in incorruptionem, et quod seminatur in ignominia, surget in gloria.»

*abjecta corruptione et deposita mortalitate; » ex animali namque corpore ipsa virtus resurrectionis et gratia corpus spirituale educit, cum id ab indignitate transmutat ad gloriam. Nostra corpora velut granum cadere in terram putanda sunt, quibus insita ratio ea, quae continet substantiam corporalem, quamvis emortua fuerint corpora et corrupta atque dispersa, verbo tamen Dei ratio illa ipsa, quae semper in substantia corporis salva est, erigat ea de terra et restituat ac reparet” eet.¹⁾. Resurrectio igitur affert corporis permutationem, salva tamen substantia corporali; transbit in resurrectionis corpus non eadem corporis *materia*, sed eadem *forma* (*εἰδος*), emendata vero ac subtilior, s. *nota characteristicā* (*τὸ χαρακτηρίστικον*)²⁾. Resurrectionem denique universalem, piorum et impiorum, docuisse videtur³⁾. Et haec quidem Origenis sententiae est summa⁴⁾, cuius elementa fuisse Paulinica, elaborata vero et ornata notionibus Platonicis de corpore et animo ac, quae inter utrumque exstet, necessitudine, e locis allatis satis patet. ORIGENES, quamvis sequenti periodo ejus sententiam ecclesia damnaverit⁵⁾, id tamen effecit, ut resurrectio minus deformis multis*

1) *De princ.* lib. II, c. 10.

2) Vid. *ann. in Ps.* I, 5: οὐρανοῖς τὰς σὺν ἐτι, ἀλλα δύπερ πότε ἔχαγουντηριέτο έν τῇ οὐραι, τοῦτο χαρακτηρισθήσεται έν τῷ πενταπάτικῳ σώματι.

3) Ibid. »Justorum quidem judicium est transitus ab operoso corpore (*προσαντυκον σώμα*) ad angelica corpora; impiorum vero judicium est ab operoso corpore in tenebrosa et obscura corpora permutatio. Resurgent enim impii non in priori sed in secundo judicio.”

4) *De Orig.* cf. REDEFENNING, I, p. 390, II, p. 118, 346 et passim.

5) Vid. WALCH, *Hist. d. Ketzer*, VII, p. 640.

nunc proponeretur; a multis, nequaquam vero a majori parte; vigere enim perrexit rudior illa dogmatis definitio. Quod paulo mirum: equidem, devicto nunc chiliasmo, mitiorem placiti expositionem haud sine jure exspectaremus divulgatam; attamen aliter factum est, ut deinde videbimus. Priusquam vero hujus periodi scriptores spectare aggrediamur, monendum est, resurrectionis doctrinam cunctas mentes occupare tantopere perrexisse, ut omnium recensere definitiones conspectus noster prorsus non sinat; ergo primarios memorasse sufficiat.

ORIGENIS sententia haud paucos nactus est obtrestatores, quorum primum, METHODIUM, supra jam memoravimus ¹⁾; hunc multi ecclesiae decreti propugnatores secuti sunt; pauci palam ecclesiae obloqui ausi sunt, plurimi quaestionis cardinem ex industria evitare videntur. Ita e. g. uterque GREGORIUS (ut a Graeca ecclesia ordiamur) de corporis resurrectione neutiquam loquitur, sed de hominis in pristinam, qua in paradiſo esset, conditionem restitutione, nec ab ORIGENIS sententia *Nyssenus* certo videtur alienus ²⁾.

Neque diserte opinionem elocutus est BASILIUS M. unde conjicit, eum hac in re non plane cum ecclesia fecisse, quod etiam obtinet de CHRYSOSTOMO, de utroque CYRILLO, de ANTI-PATRE BOSR. ³⁾. EUSEBIUS *Caes.*, carnis restitutionis fautores

1) Vid. de litis hujus progressu: FLÜGGE, o. l. III¹, p. 172. HAGEN-BACH, o. l. § 140 al.

2) Vid. TELLER, o. l. p. 362. FLÜGGE, l. l. p. 185 sq. MÜNSCHER, l. l. p. 432, 439.

3) De Chrysostomo cf. ZYNG in: Niedner, Zeitschr. f. hist. theol. 1849, IV, p. 642 recept. in: DE KEIJSER, Repert. v. buitenl. theol. 1850, I, p. 207 sq.

respiciens, »venter» inquit »magis sunt quam homines», nec multum igitur sententiam suam celavit. Ex his clare jam patet, Graecam ecclesiam paucos gloriari posse orthodoxae doctrinac fautores. In his memorandus est EPIPHANIUS, qui idem corpus, carne cunctisque membris instructum, restitutum iri acriter defendit; tum THEOPHILUS *At.*, primo ORIGENIS assecula, postea vero, heterodoxiae famam aversatus, carnis resurrectionis obediens fautor; denique APOLLINARIS *Laod.*, quem, teste HIERONYMO, »in hac parte (i. e. chiliasmo) duntaxat plurima se-« quebatur multitudo.” JOH. DAMASCENUS τῶν σωμάτων, non carnis, resurrectionem profitetur: Dei omnipotentia corpora incorruptibilia suscitabit, quod multis S. S. locis nec minus ipsius Christi resurrectione probatur.

E dictis videre potuimus, Graccae ecclesiae hujus periodi doctores definitiones suas non perclare circumscriptisse. In Latina demum ecclesia dogma nostrum stabilem idoneamque accepit formam. Memorandum digni sunt: LACTANTIUS, cui chiliasmus, quem secutus est, minime impedivit, quominus carnis s. ejusdem corporis resurrectionem rejiceret; HILARIUS, qui corpus mutatum iri affirmat, simul vero ex alia, quam qua nunc est, materia corpus futurum constare negat¹⁾. Exempla, a CLEMENTE *R.* jam exhibita, AMEROSIUS, argumentorum instar, repetit. Ecclesiae sententiam strenue defendit HIERONYMUS,

1) »Non enim aliud corpus, quamvis in aliud resurget. Fit ergo demum tatio, sed non assertur abolitio. Et cum id quod fuit, in id quod non fuit, surgit, non amisit originem, sed proficit ad honorem.” *In Ps.* l. u. 13.

ORIGENIS partibus minus honorifice derelictis 1): »haec est vera
 »confessio resurrectionis, quae sic gloriam carni tribuit, ut non
 »auferat veritatem. — Resurrectionis veritas catholicae sine carne
 »et ossibus, sine sanguine et membris intelligi non potest.»
 Nec minus RUFINUS hujus carnis resurrectionem professus est.
 Quod ad AUGUSTINUM denique attinet, is, nisi censeatur sententiam suam immutasse 2), minime sibi videtur constare; in prioribus enim scriptis mitius de dogmate nostro loquitur quam postea 3). Ceterum, quot quantaque hac in causa fabulatus sit, sequentia ipsius verba dijudicent 4): » . . aut enim non
 »omnes mortui resurgent, et erunt aliquae humanae animae sine
 »corporibus in aeternum, quae corpora humana, quamvis intra
 »viscera materna gestarunt: aut si omnes animae humanae re-
 »cipient sua corpora, quae habuerunt, ubicunque viventia et
 »mortientia reliquerunt, non invenio quemadmodum dicam, ad
 »resurrectionem non pertinere mortuorum quoscunque mortuos
 »etiam in uteris matrum. — Quid ergo de infantibus dicturi
 »sumus nisi quia non in ea resurrectari sunt corporis exigui-
 »tate, qua mortui? Sed quod eis tardius accessurum erat
 »tempore, hoc sunt illo Dei opere miro atque celerrimo recep-
 »turi. — Atque illud quod commemoravit Apostolus 5) de men-

1) Vid. HAGENBACH o. l. § 140, 5.

2) Ibid. ad not. 6.

3) *Retract.* lib. I, c. 17: »quisquis ea sic accipit, ut existimet, ita
 »corpus terrenum, quale nunc habemus, in corpus coeleste resurrectione
 »mutari, ut nec membra ista nec carnis sit fatura substantia, procul dubio
 »corrigendus est.»

4) Vid. *de Civ. Dei* lib. XXII, cap. 13, 24, 25, 27.

5) Eph. IV: 13.

*sura aetatis plenitudinis Christi, aut propter aliud intelligamus
 dictum esse; . . . aut si hoc de resurrectione corporum dictum
 est, sic accipiamus dictum, ut nec ultra, nec infra juvenilem
 formam resurgent corpora mortuorum: sed in ea aetate et
 robore, usque ad quam Christum hic pervenisse cognovi-
 mus. — Sed mihi melius sapere videntur, qui utrumque
 sexum resurrectorum esse, non dubitant. Non enim libido
 erit, quae confusionis est causa. Nam prius quam peccas-
 sent, nudi erant: et non confundebatur vir et foemina; cor-
 poribus ergo illis vitia detrahentur, natura servabitur. Non
 est autem vitium sexus foemineus, sed natura; quae tunc
 quidem et a conceitu et a partu immunis erit: erunt tamen
 membra foeminea non accommodata usui veteri, sed decori
 novo, quo non alliciatur aspicientis concupiscentia, quae nulla
 erit" cet. Ad AUGUSTINUM diulius moravimus non tantum ut,
 futilitatis gratia, memorabiles ejus cognosceremus definitiones,
 sed praesertim etiam quia ceterorum hujus periodi doctorum
 hac de re monita allatis AUGUSTINI effatis jure metiri possumus;
 Praeterea magna AUGUSTINI auctoritas efficit ut ecclesiae doctrina
 stabiliretur ac deince firma staret. Multos igitur nunc silentio
 possumus praeterire; verbo memorandus est GREGORIUS M., ignis
 purgatorii dogmatis inventor, quod dogma, quamvis cum re-
 surrectione omnino cohaereret, primum tamen locum in theo-
 logorum disputationibus sequenti tempore occupavit, quo evenit
 ut plus minusve illa repelleretur in obscurum. Corporum futu-
 rorum caro, testis GREGORIO, »cadem crit per naturam, diversa
 "per gloriam." ISIDORUS Hisp. AUGUSTINI verba fere repetit;

nec nova praebet **BEDA**: »Sex aetates hujus saeculi sunt, septima dormientium, id est, illorum, qui adhuc exspectant communem resurrectionem: octava vero resurgentium, quando novissima mors destructur, et quando duplii stola vesiemur, seilicet in anima et corpore 1)».

Aevum scholasticum spectantes, breves esse licet; primo, quod in placiti nostri explicatione exiguis scholasticorum est dissensus, alterum altero imitante, tum quod potissimum litigant de causis, hoc a placito plane diversis 2).

Unus tamen **JOH. SCOTUS ERIGENA** excipiens est, quippe qui favere videatur Origenianismo: »semel enim et simul animas nostras et corpora in paradiſo conditor erexit, corpora dic ecclesia, spiritualia, qualia post resurrectionem futura sunt 3).» Curiositatis gratia, simul vero ut ex uno discas omnes, adducere juvat unicam e **BONAVENTURA** scriptis periodum: »Primo autem quaeritur an resurrectio sit futura; secundo, dato quod sit, quaeritur utrum resurrectio sit omnium. Tertio, dato quod sit omnium, quaeritur utrum sit omnium simul an successive. Quarto quaeritur, utrum sit resurrectio eorundem secundum numerum. Quinto, utrum sit resurrectio naturalis vel mirabilis.

1) *Commentar. in Ps. LXXXIX: 10.*

2) Medii aevi haereses ne praetereamus, verbo hic memoremus libellum Monetac Cremonensis ordin. Praedicat. adv. Catharos et Waldenses, quo teste hue reddit illarum sententia: corpus est animae instrumentum, unde sequitur, nonnisi animam posse remunerari post corporis obitum; Dei enim justitiae repugnaret instrumenti remuneratio; itaque anima sola, putrescente carne, resurget."

3) Vid. **HAGENBACH**, o. l. § 204, 1.

» culosa. Sexto quaeritur de causa nostrae resurrectionis." Ad quatuor priores quaestiones affirmando respondetur; ad 5^{am} et 6^{am}: »resurrectio ex parte reformationis corporis est contra naturam, ex parte unionis animae ad corpus naturalis, et quoad inseparabilem colligantiam utriusque, est supra naturam. Resurrectio fiet principaliter a sanctissima Trinitate, et instrumentaliter a voce Christi, et exemplariter a resurrectione ejus." Adduntur subtiles quaestiones de corporum suscitatorum qualitate etc., de quibus hoc modo disseritur: »corpora electorum habentia deformitatem, resurgent cum deformitatibus suis quoad substantiam, sed cum pulchritudine. — An damnati resurgent cum deformitatibus. — Resurgent eum sua deformitate si jam fuerunt deformia, atque ita confirmabuntur."

Sed haec sufficient de Scholasticis ¹⁾.

Jam transire licet ad reformationis tempora. Universe autem inspicientes eschatologiam, qualis in diversis protestantismi partibus recepta est, plane fere eam deprehendimus cum Romano-catholicae ecclesiae eschatologia concordantem ²⁾; quod ne mirum animadvertisendum est, reformatoribus alias prorsus remendandas fuisse obvias, quo factum est, ut de rebus eschatologicis haud multum illi disseruerint. Ita resurrectionis quoque doctrinam, si aliquando eam tangunt, immutatam recipiunt reformatores. LUTHERUS, *carnis resurrectionis* denominationem quamvis improbavit ³⁾, professus tamen est exspectationem » ut

¹⁾ De scholast. vid. inpr. FLÜGGE, o. l. III², p. 142 sqq.

²⁾ Ignis purgatori decreto abjecto.

³⁾ Cat. maj. art. 3: »Quod hic ponitur: Auferstehung des Fleisches, ne

»haec nostra caro cum omnibus suis sordibus et vitiis abolita
 »et sepulta computrescat, verum praeclare et magnifice iterum
 »prodeat et exsurgat a mortuis ad perfectam sanctitatem, nova
 »et immortali vita animata“¹⁾). MELANTHON in »locis“ verbo,
 ZWINGLIUS in »comm. de vera et falsa rel.“ ne verbo quidem
 resurrectionem memoravit²⁾; CALVINUS vero carnis resurrectionem
 videtur defendere³⁾. Libri denique symbolici vel a pristina doc-
 trina minime recedunt vel minus finite de resurrectione loquuntur⁴⁾.

Sequenti tempore, quo philosophia, speculativa dicta, vige-
 bat, resurrectionis doctrina minus tenebat mentes intentas; et
 enim immortalitatis vitaeque aeternae placitum primas nunc egit
 partes; ac si chiliasmi commenta hoc tempore renovarentur, hacten

»hoc quidem valde apte lingua nostra vernacula expressum est. Etenim
 »carnem audientes, non ulterius cogitamus, quam de macello. Verum recte
 »et genuine loquendo, germanice diceremus: Auferstehung des Leibes oder
 »Leichnams h. c. corporis resurrectionem.“

1) Ibid. — Cf. ejus operum pars XV, p. 291.

2) Cf. ZYRO, l. l. p. 214.

3) *Instit.* III, 25, 8: »non ulla de re clarior suppetit scripturae defi-
 »nitio quam de carnis, quam gestamus, resurrectione“ cet. Attamen alibi
 ita disseruit, ut magis ORIGENIS sententiae favere videatur, e. g. »tenendum
 »est, nos in eadem, quam gestamus, carne, resurrecturos, quoad substantiam,
 »sed qualitatem aliam fore.“ Ibid.

4) Variae confessiones, proprie sic dictae, vel obiter rem tangunt, vel
 silentio praestereunt. *Conf. Helv.*: »fidelium corpora ut spiritus sancti
 »templa... resurrectione.“ Omibus fusius rem tractat *Conf. Bely.* art.
 37. Cf. *Cat. Heid.* quaest. 57. *Basil. Conf.* I, art. 10: »Credimus ul-
 »timum judicium fore: in quo caro nostra resurget.“ Cf. NIEMEYER, *Coll.*
conf. in ecclesiis ref., p. 83 et passim. Ab his omnibus diversa videtur
 Socinianorum sententia: in *Cat. Racov.* (ed. Oeder. p. 717) corpora futura
 aequiparantur Christi corpori spirituali. Nonnulli vero Sociniani hac defi-
 nitione ulterius progressi videntur, qualemunque resurrectionis denomina-
 tionem rejicientes.

tamen universe Christi redditum magis spectabant quam resurrectionem mortuorum. Steterunt igitur ad unum fere omnes in veteri sententia, mutata vero, philosophia duce, argumentandi ratione; omnia enim nunc rationis principiis erant probanda, nec igitur suffecit S. S. effatorum simplex explicatio.

Saeculo demum XVIII fere dimidiatu novam nostrum dogma iniit periodum, separato hac de causa edito libello, auctore BURNETO¹⁾; duplcam ille propugnat resurrectionem, alteram plorum, regni millenarii initio, ceterorum mortuorum alteram, qua pii accipient corpus coeleste »materiam aliquam levem et tenuem, instar venti, halitus aut aeris», abjecto corpore terrestri resurrectionis prioris; impii tunc mittentur in infernum. BURNETUS, etiamsi nihil novi dixisse censeatur (praeterquam quod definitiones diligentius distinxit), id tamen efficit, ut dogma nostrum ab omni parte dein recognoscetur. Huc nunc accessit interpretatio historica, a SEMLERO introducta, quae magnam vim habuit in resurrectionis placito reformato. Historicam illam interpretandi methodum avide arripuit rationalismus, idoneam nunc sibi visus invenisse causae suae vindicationem. Applicata enim illa accommodationis (materialis) theoria, facile removebatur quaeviis notio rationalismo displicens. Sic concludi potuit, resurrectionis denominationem nihil complecti nisi: »immortalitas» s. »vitae aeternae» notionem²⁾, ac perhiberi e. g., Jesum, semet ipsum nuncupantem »mortuorum resuscitatorem»

¹⁾ *De statu mortuorum et resurgentium tractatus.* Lond. 1773.

²⁾ ECKERMANN, *Handb. f. d. Syst. Stud. d. chr. Glaubensl.* II, p. 571, 754, III, p. 672 sq. HENKE, *Lin. init. fid. Chr.*, p. 155 sq. al.

sim., indicare voluisse: »ego auctor sum moralis hominum
 »emendationis" etc. Multos omnino illa resurrectionis expositio
 invenit opposentes, at nullum tere ecclesiae doctrina patronum.
 Alii enim, philosophiam secuti Leibnitzio-Wolfianam, sententiam
 recepere »germen quoddam invisibile emanare e corpore terrestri
 »ad novum animi vestimentum" ¹⁾, quocum non plane convenit
 aliorum sententia, qua, eadem admissa hypothesi, statuitur:
 resurrectionis momento subtilius illud corpus locum cessurum
 esse praecedenti corpori (in corpore enim terrestri inclusum est
 incorruptibile quoddam »praeformatum" germe novi corporis re-
 surrectionis), sive potius quibusdam hujus partibus completum
 perfectumque iri ²⁾; vel, biblicis allatis argumentis, efficere
 studebant, statim post mortem resurrectionem evenire ³⁾, a qui-
 bus haud dissentire mibi videtur HERDERUS: »Die christliche
 »Auferstehung der Todten hat die körperliche Auferstehung der
 »Juden eigentlich zerstört; sie hat sich aus ihr, wie der
 »Geist aus der Materie losgewunden, und fort dauerndes Leben,
 »eine persönliche Unzerstörlichkeit ($\alpha\varphi\theta\acute{a}g\sigmai\alpha\nu$) ans Licht ge-
 »bracht, die christliche Glaube wurde" ⁴⁾. LAVATER, chilias-
 mum propugnans, duplum professus est resurrectionem, prior-
 rem initio regni millenarii, alteram ad hujus regni finem ⁵⁾,

1) DES CÔTES, *Die Auferst. d. Todten, nach dem neutest. Begr.* — al.

2) BONNET, *Phil. Paläogenesie* etc.; recentiori temp. EHRHART, *üb. d. chrl. Auferstehungsl.* Ulm. 1823.

3) PRIESTLEY in *Britt. theol. Mag.* IV, p. 291 sq. — AMMON, *Summa*, § 196 al. VOGEL, *De resurr. carnis.* Erl. 1819.

4) Vid. *Von der Aufersteh. als Glaubensgesch., Glaub. u. Lehre*, p. 120.

5) *Aussichten in d. Ewigk.* I, p. 179.

qua idem corpus restituetur. Ecclesiae decreto repugnavit etiam SWEDENBORGIUS, docens, hominem resuscitari non nisi quoad animam, nec unquam illam corpus esse recepturam post mortem¹⁾. De corporum denique suscitatorum qualitate magna erat dissensio. Haud pauci, cum ORIGENE, identitatem tantum partialiem corporibus resuscitatis tribuere, quandoquidem nimis videretur rationis principiis adversari²⁾, omnium hujus corporis partium restitutionem accipere; in his nominandi sunt i. a. MICHAELIS³⁾, DÖDERLEIN⁴⁾, KNAPP⁵⁾, REINHARD⁶⁾, et inter nosstrates: REDDINGIUS⁷⁾, DONKER CURTIUS⁸⁾, MUNTINGHE⁹⁾, DE HAAS¹⁰⁾, BOSVELD¹¹⁾ al. At omnes commemorare longum est¹²⁾; hoc unum adhuc monendum est, cunctos illos theo-

1) «L'homme ressuscite seulement quant à l'esprit, et non quant au corps. L'esprit de l'homme après la mort du corps apparaît dans le monde spirituel dans une forme humaine, absolument comme dans le monde; il jouit aussi de la faculté de voir, d'entendre, de parler et de sentir comme dans le monde... c'est cette continuation de la vie, qui est entendue par la résurrection.» — Vid. *de la nouvelle Jer.*, trad. du Lat. par *le Boys des Guays*, p. 205, 162.

2) Quod Lutherus jam eloquentus est: »Wenn man's nach der Vernunft ausrechnen will, so lässt sich ansehen, als sei dieses Artikel von der Auferstehung der Todten entweder gar nichts, oder doch ganz ungewiss.« Vid. ejus opp. VIII ad Joh. 18—20.

3) *Dogm.* p. 598.

4) *Inst. theol. chr.* II, p. 486.

5) *Vorl. üb. d. chr. Glaubl.*, II, § 152 sq.

6) *Dogm.* § 187.

7) In *Opp. Soc. Hag.* 1805.

8) *Ibid.*

9) *Theol. Christ.* I, § 263 sq.

10) *De toek. waereld.*

11) *Explic. ad 1 Cor. XV.*

12) De nostratis vid. inpr. BRIËT in: *Gody. Bijdr.* XVI, I, p. 170 sq.

logos, modo memoratos, quidquid de corporum substantia ac qualitate philosopharentur, vulgari proprioque tamen sensu locutos esse de resurrectione mortuorum (sc. die novissimo); quod minime obtinet de iis, qui, admissa allegorica illa interpretandi ratione vel accepto accommodationis (materialis) systemate, veram resurrectionis notionem e S. S. amovere studeant, nudam immortalitatis notionem illi substituentis¹⁾. Quid SCHLEIERMACHERUS statuerit, ex hisce ejus verbis efficere licet²⁾: . . . dass nicht dem Individuum, sondern dem gesammten Menschengeist, der Quelle der einzelnen Seelen, als der wahren lebendigen Einheit, die Ewigkeit und Unsterblichkeit zukomme, und dass die Einzelnen Seelen nur dieser Einheit vorübergehende Actionen seien," quibus verbis non consequens esse non potest singulorum hominum futurae resurrectionis negatio.

Recentissimum denique tempus quod attinet, nescio an *carnis* resurrectionem, proprio sensu, multi theologi etiam nunc defendant³⁾. At vero de $\tau\eta\varsigma\alpha\pi\sigma\tau\alpha\sigma\epsilon\omega\varsigma$ notione nequaquam lites sunt compositae. Haud pauci theologi, alii vero aliam interpretandiam secuti, ad pristinam rediere sententiam, qua resurrectio-

1) Vid. antea.

2) *Glaubensl.* § 174.

3) Neque MARTENSEN, *Dogm.* p. 511 de carnis res. proprio sensu loquitur: "Daher verlegt auch die Schrift die Auferstehung des Leibes auf den jüngsten Tag, womit die Vorstellung von einem Zwischenreich, einem Zwischenzustand für die Todten notwendig gegeben ist." Cf. J. J. V. OOSTERZEE in: *Jaarbb. v. Wet. Theol.* IX, p. 708. Attamen i. a. usum formulae *resurrectionis carnis* tucri conati sunt LANGE, in *Stud. u. Krit.* 1836, p. 693 sq. NITZSCH, *Syst. d. chr. Lehre*, p. 394. Cf. ZYRO, I. I.

nis notione hominis immortalitatis notio contineatur; inter quos, quamvis alii aliter definiant, nominandi sunt: WETTIUS¹⁾, BRETSCHNEIDERUS²⁾, GRIMMIUS³⁾, HASIUS⁴⁾, REUSSIU^s⁵⁾ al., inter nostrates: BRITIUS⁶⁾, J. SONIUS-SWAAGMAN⁷⁾, J. F. VAN OORDT⁸⁾, a quibus dissentit JENTINKIUS⁹⁾, qui moralem resurrectionis notionem defendere suscepit, quacum definitione convenit clar. SCHOLTEN, quamvis in singulis locis explicandis propriam secutus sit methodum¹⁰⁾; quorum vero singulorum sententia ex ipsa hac disquisitione deinde accuratius cognoscetur.

1) *Bibl. Dogm.* § 243, 272.

2) *Dogm.* II, p. 488.

3) *Inst. theol. dogm.*, p. 517.

4) *Ev. Dogm.*, p. 111.

5) *Hist. de la theol. chrét. etc.* I, p. 260 sq.

6) In *Godg. Bijdr.* XVI, p. 161 sq. — *De Eschatologie* I, p. 137 sq.

7) In *Waarr. in Liesde* 1840, II, p. 385 sq.

8) *Ibid.* 1841, III, p. 551 sq.

9) *Maranatha*, p. 76 sq. Cf. *Jaarbb.* VIII, p. 455 sq. alib.

10) Vid. *Dogmaticae Christ. Initia*, cap. VI, 27. *Jaarbb. v. wet. theol.* VIII, p. 431 sqq.

S E C T I O I.

JUDAEORUM, JESU AEQUALIUM, DE RESURRECTIONE MORTUORUM SENTENTIA.

§ 1. *De fontibus, e quibus cognoscitur Judaeorum, Jesu aequalium, de resurrectione mortuorum sententia.*

Verus Jesu institutionis sensus neutiquam plane percipi potest, nisi notiones eorum, quos institutio illa primo loco spectavit, accurate nobis sint cognitae; quod facile intelligitur. Nulla enim alia ratione scire possumus, quo sensu Jesu verba auditores acceperint, s. potius, quo sensu ea non accipere non potuerint, quo igitur sensu acciperentur ipse Dominus voluerit.

Itaque notionum, quae Judacis, Jesu aequalibus, essent, cognitio fundamentum est, cui ipsius Jesu doctrinae cognitio superstruitur; et hac ipsa ex causa ante omnia necesse est, diligenter ponderare fontes, e quibus notiones illae vulgo huiusintur. Fontes autem illi tot sunt tamque varii generis, ut, nisi magna cum cautione ac diligentia iis utamur, falsae conclusiones in promptu sint, vel certe, falsa nixi hypothesi, in

errorem ne abducamus, magnum sit periculum. Accedit, quod multorum, quibus uti possemus, fontium tanta superest originis obscuritas, ut prudens eorum usus magis etiam requiratur.

Primo videamus de fontibus hebraicis, quibus vulgo utuntur, *Turgumim*, *Talmude*, *Rabbinis*. His omnibus sine ulla restrictione uti nos posse ad S. S. explicationem censuit SCHÖETTGENIUS: »quamvis ... duobus vel tribus saeculis recentiores sunt... idem est, ac si scriptores antiquos» (i. e. ante Christum viventes) »ipso legeremus vel audiremus»¹⁾; quam vero thesin ipse mihi videtur refutasse, ac primo quidem hisce verbis: »quod si vero in hoc opere nonnullos ex Rabbinis recentioribus profero, hi tantum valeant, quantum possunt»²⁾, tum suscepta ingrata illa argumentatione »R. Simeonem³⁾, »filium Iochai, auctorem libri Sohar, religione fuisse Christianum»⁴⁾. Primo enim non video, quidni de Rabbinis, duobus vel tribus saeculis Christo recentioribus, idem valeret ac de ceteris; tum, si quid valet argumentatio illa, quomodo, quaeso, Christiani scriptoris effata Judaeorum aevi ante-Christianiani nobis reddent notiones?

At vero alii nunc SCHÖETTGENII sententiam sequuntur, etsi aliis, quam ille, ducuntur argumentis. Inter quos GFRÖRERUS, qui cuncta Rabbinorum scripta multo serius putat exarata⁵⁾,

1) Vid. *Hor. Hebr. et Talm.* praef. § XIV.

2) Vid. ibid.

3) R. Simeon, iudice Schöttg. vixit a. p. Ch. 120.

4) Vid. o. l. tom. II, cap. II, Lect. Rabb. lib. II.

5) Ita e. g. librum Sohar saec. denum XIII exeunte conscriptum putat, de quo, uti et de cet. Rabb, vid. op. ejus: *Jahrh. d. Hails*, I, p. 63 sq.

quod vero non impedit, quin eodem modo iis uti se posse ratus sit ac si perantiqua, imo ante-Christianæ, essent; haud magis enim, ita ratiocinatur, quam e. c. Sinensium notiones religiosæ omnia fere per saecula stetere immutatae, Judæorum notiones tempora quicquam mutarunt; nihil igitur interest, ultrum antiquorum Judæorum legamus scripta an recentiorum ¹⁾. Nec aliter concludere videtur WETTIUS, statuens, dogmata etiam Christianæ, dummodo Judaicis quibusdam locis parallelis confirmantur, neque horum effatis diserte repugnant, habenda esse notiones, Christi tempore Judæos inter vigentes ²⁾.

Verum enim vero illorum virorum monita minime videntur concedenda. Scilicet, etsi certo certius non potest probari, verosimile tamen est, Judæos recentiores, ipsis invitis ac ignorantibus, Christianismi impulsu non ita semper stetisse immunes, ut nusquam protulisse putandi sint novas quædam ideas, i. e. proavis ignotas, s., ne dicam mutatas eas, amplificatas tamen paucisque definitionibus adauetas; quod in primis valet de dogmate tam obscuro ac incerto, quale fuit mortuorum resurrectio, de quo Judæis nequaquam erat constans doctrina, sed magnus dissensus ³⁾. Praeterea sententia nostra confirmatur comparatione scriptorum

1) Vid. op. I. p. 109 sqq.

2) Vid. *Bibl. dogm.* § 194. — Non plane cum eo facit REUSS, op. I. I, p. 136.

3) Cf. CORRODI, op. I. I, p. 2: »Schöttgen irrt sich also, bey aller seiner Belesenheit, ausserordentlich, wenn er in den alten Zeiten, die ich genennt, würdige und vernünftige Begriffe vom Reiche des Messias sucht» etc. — Cf. ZELLER, *Theol. Jahrb.* 1843, p. 49: »Wohl kann ein indirechter und, der Hauptsache nach, unbewusster Einfluss der christlichen auf die jüdischen Theologie... stattgefunden haben» etc.

Judaicorum ante Christum viventium cum posterioribus, qua docemur, hos multo plura, ac subtiliora ea, de mortuorum resurrectione constituisse quam illi; quod explicatur, admissa thesi: in Judaeorum notionibus eschatologicis amplificandis aliquatenus certe vim habuisse praecegos Christianos, quos magnopere curasse res eschatologicas ac diligenter explanasse supra vidimus.

Quidquid vero sit, recte hic viderim necne, hoc certe minus etiam probari potest, notiones nempe, in senioribus Judaeorum scriptis obvias, jure tribui posse Judaeis, Jesu aequalibus; quapropter hic valeant illa STORRI verba: »talmudicis scriptis non tam ad probandum uti nobis licere, quam ad illustranda et confirmanda ea, quae aliunde certa fuerint et explorata“¹⁾. Neque enim certis illis et exploratis desunt fontes; adsunt nimirum *Evangelia*, adsunt *Josephi* scripta, adsunt *libri apocryphi*, quorum nonnulli certo ad Christi tempora recessunt; etenim quartum *Esrae* librum ad aevi nostri Christiani initium recedere, ac Judaicum quidem ei esse auctorem, omnes credo concedunt; loci autem nonnulli, ab homine quodam Christiano ei inserti, facile distinguuntur; nec major virorum doctorum est dissensus de *Henochi* libri origine ac de duobus prioribus *Maccabaeorum* libris, qui cuncti circum Christi tempora extitere²⁾. Ceteros quod attinet fontes (*Maccab.* libb. III et

1) *Opusc. acad.* I, p. 257 not. 9. Cf. p. 35.

2) Vid. de libb. apocr. LÜCKE, *Versuch einer vollst. Einl. etc.* I, § 11 sqq. DE WETTE, *Einl.* I, § 293 sq. GFRÖRER, o. l. I, p. 69 sq. CORRODI, o. l. I, p. 179 sq. — al.

IV, libb. *Sap.* *Jud.* *Tob.* *Sir.* *Bar.* *Philo*), horum vel origo aetasque tantopere in obscuro latent, tantus sane de iis virorum doctorum est dissensus ¹⁾, vel, philosophiam Alexandrinam exhibentes, tam parum censendi sunt Palaestinensium, inter quos Jesus vitam degit, Judacorum detegere notiones, ut de his valeat regula antea allata ²⁾.

Pauca denique addere licet de fontibus primariis, *Evangelii*. Illa nimirum, quamquam non abundant locis, e quibus Judaeorum de τῇ ἀναστάσει notiones cognoscere licet, universe tamen hac in re magnas habent cautiones. Fac enim, hominem Judaicum in Evangelii induci loquentem, num fas esset, sententiam, ab illo prolatam, statim Judaicam habere ideam? Minime gentium; etenim nullo modo negari potest, illius cogitandi ac loquendi rationem jam potuisse mutatam, emendatam, purgatam esse Christi institutione; nisi igitur aliunde, vel ipsius Jesu responsu certo constet, Judaicam ideam revera eum elocutum esse, nullo jure uno illo ex loco efficere licet, quaenam maxime opinio Judaeis sit tribuenda. Denique distinguendum esse, notiones utrum sint populares, an scholae cuidam propriae, non est quod moneamus ³⁾.

1) Vid. opp. modo II.

2) Cf., praeter opp. modo II., ZELLER, I. I. p. 39: »Der Einfluss der Philosophie und der Mangel eines nationalen politischen Organismus musste der Denkart der Alexandriner nothwendig eine Richtung geben, die wir unter ganz anderea Verhältnissen auf Palaestina überzutragen kein recht haben.“ STORR, I. I. p. 42: „... ut Philonis et Josephi privatas opiniones non continuo tribuamus: ceteris omnibus, quibus aequales erant, Judaeis, etiam Palaestinensibus“ etc.

3) Dignissima est, quae legatur, tota illa egregia STORRII diss. *de sensu historico*, in opusc. ac. I.

Omnia autem monumenta illa memorata, sibi invicem collata, se invicem illustrantia et confirmantia, satis firmum plenumque praebebunt testimonium de Judaeorum, Jesu aequalium, de resurrectione mortuorum sententia.

§ 2. *Judaeorum, Jesu aequalium, de resurrectione mortuorum sententia.*

Parvi hic nostra interest scire, undenam quoive tempore Judaeis exstiterit resurrectionis mortuorum doctrina¹⁾, similesque quaestiones; sufficit, constare Christi tempore inter Judaeos divulgatam fuisse futurae resurrectionis mortuorum exspectationem. Nostrum igitur est, veram hujus exspectationis indolem omni ex parte exquirere et explanare; cui disquisitioni, quantum fieri potest, Evangelia erunt fundamentum.

Primo videamus de resurrectionis, qualem Judaei sibi singarent, *natura*.

Judaeos, Christi tempore viventes, spem concepisse regni Messiani terreni, nemo non concedit; hac vero cum spe arcta quam cohaereret resurrectionis mortuorum exspectatio, statim jam conjicere licet, haud sublimiorem iis fuisse resurrectionis doctrinam; quod multis probari potest argumentis. Ac primo quidem hac in causa testis nobis est memorabilis illa periodus, quae in Ev. Matth. XXII: 23—28 et ll. par. occurrit. Saddu-

1) Hac de re vid. MÜLLER in *Stud. u. Krit.* 1835, p. 477 sqq. Cf. KEMINK in *Jurabb. v. Wet. Theol.* IV, p. 140 sq. — M. NICOLAS in: COLANI, *Rev. d. theol.* XIV, p. 356 sq.

caeorum autem quaestione aperte proponitur Judaica illius temporis sententia vulgaris s. popularis, unde patet, mortuorum resurrectionem, quoad ejus *naturam*, Judaeis significasse: terrestris hujus conditionis vitaeque restitutionem, s. corporis, in pulverem redacti, ab omnibus partibus redintegrationem¹⁾. Confirmatur haec nostra thesis atque illustratur variorum scriptorum argumentis, quorum praecipua licet afferre: *Hieros. Chertubb.* fol. 35, 1: »Jussit R. Jeremia, cum me sepelietis, induite pedibus meis calceos, et baculum date in manum meam, meque in latus unum reponite, ut cum advenerit Messias, sim expeditus²⁾.» Illa quaestio magistralis etiam in scholis Pharisaeorum tractabatur, quamvis non ea intentione, ut inde ad nullitatem resurrectionis concluderent. Decisio autem ex mente illorum talis profertur in *Sohar Gen.* fol. 24: »Mulier illa, quae duobus nupsit in hoc mundo, priori restituitur (in mundo futuro)³⁾.» Adducuntur omnino loci nonnulli⁴⁾, quae eandem, quam Jesus profert, sententiam (vs. 30 sq.) exhibeant, ac thesi igitur nostrae videantur obstare; sed loci illi, quippe Rabbinorum recentiorum, nil probant. Hanc respiciens opinionem, qua sc. corpus resuscitatum aequiparatur angelorum corporibus coelestibus, R. Menasse »hanc» inquit »opinionem non assis facio; ... praestantissima enim est haec sententia»: Deum

1) Cf. *Matth.* XIV: 2, II. par.

2) Vid. *LIGHTFOOT*, *Hor. hebr. et Talm.*, p. 388.

3) Vid. *SCHOETTG.*, o. l. ad h. l.

4) Vid. *SCHOETTG.*, o. l. ad *Matth.* XXII: 30. *EISENMENGER*, *Entdecktes Judenthum* II, p. 940. Cf. *GFRÖER*, o. l. I, p. 63.

aliquando corpus restituturum esse ex ossiculo Luz¹⁾). At haec jam sufficient de loco. Rabb.; haud enim desunt majoris ponderis testimonia. JOSEPHUS²⁾ hisce verbis reddit Phariseorum sententiam: » . . . ταῖς μὲν (ψυχαῖς ὑπὸ χθονός) εἰργμον
» αἰδίον προστίθεσθαι, ταῖς δὲ ἔξτωνήν τοῦ ἀναβιοῦν³⁾; etsi vero illud ἀναβιοῦν verbum sit quodammodo ambiguum⁴⁾, nec certo constet, semperne Pharisaicam doctrinam accurate proposuerit JOSEPHUS⁴⁾, ex hoc tamen loco clare patet, Phariseos mortuorum animas statuisse facile ex orco posse in terram redire ('ANABIOUV) ut reviviscant. — Omnia vero dubia amovet lucidus locus in secundo Maccabaeorum libro, ubi, Cap. VII, septem illorum martyrum tertium, membra sua in crueiatum lubens dum offert, sic audimus loquentem (vs. 41):
» ἐξ οὐρανού ταῦτα κέντημαι . . . , καὶ παρ' αὐτοῦ ταῦτα
» πάλιν ἐλπίζω πομίσασθαι.” Hisce autem verbis, quam potest disertissime, ejusdem corporis omnibus cum membris

1) Vid. CORRODI, o. l. I, p. 356; alia exempla vid. ibid., p. 345 sqq.
Quid sit illud Luz, e sequenti loco patet: »Hadrianus, cuius ossa conte-
»rantur, et nomen deleatur, interrogavit R. Josuam ben Hananiah: unde
»homo reviviseit tempore futuro? Respondit ille, a Luz, in spina dorsi.
»Dicit ille, demonstra hoc mihi: Accepit ille Luz ossiculum de spina dorsi,
»et indidit aquae, et non est maceratum: indidit igni, et non est crema-
»tum, subdidit molendinac, et non est contritum: positum in incude, con-
»studit malleo, scissa est incus, et ruptus malleus;” etc. Vid. LIGHTFO.,
o. l. p. 649.

2) *Antt. Jud.* lib. XVIII: c. I, § 3.

3) De causis Josephi ambiguitatis vid. FLÜGGE, o. l. I, p. 231. Cf. GRIMM, *Inst. theol. dogm.* § 230, n. 5.

4) Vid. DÄHNE, *Jüd.-Alex. Rel. phil.* II, p. 240 sq. Cf. FLÜGGE, o. l. — BORGER, *Disp. Teyl.* XXVI, p. 159, not. (m).

indicatur restitutio. Alia multa exempla hic addi possent ad confirmandum et illustrandum quod de resurrectionis natura, qualem Judaei sibi finxere, diximus; at satis superque jam constare credo quod hac de re supra statuimus.

Illa vero in opinione cum ceteris non fecerunt Sadduceei, quorum resurrectionis negatio, siquidem paulo accuratius eam persequamur, multum afferet ad Jesu doctrinam explicandam. JOSEPHO hac in re nobis teste, Sadducei qualemcumque omnino vitam post corporis obitum, hominis igitur immortalitatem, plane negasse censendi sunt; »Σαδδουκαῖοις δε τὰς ψυχὰς ὁ λόγος «συναφανίζει τοῖς σώμασι»¹⁾; et: »Σαδδουκαῖοι ψυχῆς «τε τὴν διαμονὴν... ἀναιροῦσιν»²⁾. His cum Josephi effatis congruit Sadduceorum doctrinae descriptio in Act. App. XXIII: 8; quamvis enim vocis »πνεῦμα», h. l. occurrentis, non una est explicatio, omnibus tamen ea videtur praferenda, qua naturas quascunque spirituales negasse Sadducei statuuntur, quae scilicet explicatio aliis historiae testimonii corroboratur³⁾. Accedit enim ad JOSEPHI illa verba effatum in *Tanchum.* fol. 3, 1: »Sadducei negant, dicuntque: Deficit nubes, atque abit; sic descendens in sepulcrum non reddit»⁴⁾, cui testimonio si fides est habenda, docemur, Sadduceos statuisse, post mortem de homine haud magis quid perennare quam de nube

1) *Annt.* XVIII: 1, 4.

2) *Bell. Jud.* II, 8, 14.

3) De Sadduceis vid. DE BENGEL, *Opusc. acad.* p. 173 sq. — Cf. COLEANT, *Rev. d. Theol.* III, p. 205 sq.

4) Vid. LIGHTFOOT, o. l. ad Matth. XXII: 23.

paulatim deficiente, mox in nihilum redacta. Verbo, Sadducei negarunt ét mortuorum resurrectionem Pharisaicam s. vulgarem, ét animi s. hominis prorsus immortalitatem; quae quidem negatio inde iis exstisset censenda est, quod, materialistico plane modo, πνεῦμα s. naturas qualescumque spirituales¹⁾ existere infistas irent. Haec sufficient de Sadducacis; quae vero si recte applicantur, ad Jesu de resurrectione doctrinam probe intelligendam deinde nobis aperient viam.

Accedimus nunc ad graviorem quaestionem: quid de mortuorum resurrectionis tempore statuerint Judaei, Jesu aequales. Vulgo autem ad quaestionem illam dirimendam recurritur ad classicum locum Joh. XI: 24, ubi Martha simpliciter affirmatur verbis »Οἶδα ὅτι ἀναστήσεται ἐν τῇ ἀναστάσει ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ» vulgarem hujus temporis Judaicam enunciare opinionem; quod vero ipsum probandum. Duplex sic nobis oritur quaestio, 1º utrum Martha censenda sit ét loquendi genere uti Judaico, ét Judaicam enunciare opinionem vulgarem, 2º fac, hacc ita esse, quid tunc formula illa, ἀνάστασις ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ, Judaeis non potuerit non significare.

Primam quaestionem quod attinet, neutra hujus pars certo affirmari licet. Etsi enim uno verbo vulgo affirmatur, ἀν. ἐν τῇ ἐοχῇ ἡμέρᾳ. fuisse loquendi genus Judaicum²⁾, nusquam ta-

1) Non tam eorum angelologiam specto quam anthropologiam.

2) JENTINK in: *Jaarbb.* VII, p. 462. BRIËT in: *Godg. Bijdr.* XVI, p. 366, et: *de Eschatologie*, I, p. 63. SCHOLTEN in: *Jaarbb.* VIII, p. 432; a quibus reedit WEIZEL in: *Stud. u. Krit.* 1836, p. 630: »Im Joh. Ev. ist an die Stelle der οὐρτίλεια αἰῶνος der noch spätere, in

men, nec in Evv., nec in libris apocr., nec in scriptis Rabb., ullum pro hac affirmatione inveni argumentum, quandoquidem unicus hic noster exstat locus, quo formulam illam a Judaico homine audimus enunciataam ¹⁾; atvero haec ipsa Marthac verba nihil probant; quamquam enim certo certius non constat, formulam illam ei cognitam demum fuisse e praecedenti Jesu institutione, qua Bethanica illa familia verosimiliter jam antea fuit usa, haud magis tamen probari potest contrarium, neque enim hujus probabilitatem auget hujus formulac absentia, ubicunque de resurrectione loquitur homo Judaicus, et observatio, ab ipso Jesu hanc formulam semel atque iterum adhiberi. Cum WEIZELIO igitur in medio saltem relinquenda est quaestio, utrum ἀνάστασις ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ loquendi genus fuerit Judaicum neene. Quidquid vero sit, etiamsi Martha censemur Judaicam quandam enunciare opinionem, certo tamen non eam eloquitur, quae omnibus fuit recepta. In definiendo enim resurrectionis tempore haud exiguum apud Judaeos deprehendimus dissensum. In Rabbinicis saltem scriptis varie de eo statuitur, *Sohar Num.* fol. 86: »Et illo tempore (Messiae) excitabit Deus «S. B. mortuos populi sui,” etc. *Sohar. Gen.* f. 81: »Tra-

»die Apostolische Zeit gehörige Terminus der ἐσχάτη ἡμέρα gekommen”, vel saltem in medio relinquit p. 635: »Möchte sie auch jene Vorstellung, »die in ihren Worten liegt, aus Zeitbegriffen bekannt und sich angeeignet »haben” etc.

1) Semel tantum in scriptis Rabb. resurrectionem inveni copulatam cum τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ, ubi vero ipse auctor dubitat sitne legendum ערך ב' מ' ערך ב' מ' האחרון i. e. usque ad mare extreum, an ערך ב' מ' האחרון i. e. ad diem ultimum; vid. EISENMENGER, o. l. II, p. 907.

» dant Rabbini nostri: temporibus Messiae Deus S. B. vivificabit
 » justos, eosque ex pulvere excitabit” 1). Ibid.: »Mundus non
 » poterit a reatu suo liberari, usque dum veniat rex Messias,
 » et Deus S. B. excitet dormientes in pulvere” 2). *Rambam*
in Sanhedr.: »Dicunt plurimi, quod veniet Messias et resusci-
 » tabit mortuos, et congregabuntur in hortum Edenis, atque
 » edent et bibent” etc. 3). Multa hic addi possent exempla, sed
 haec jam sufficient ad probandum, multos Judaeos resurrectio-
 nis tempus statuisse *in diebus Messiae* 4).

Alii vero contrariam sequuntur sententiam, tempus illud *post dies Messiae* constituentes, quam opinionem *Esrae* quoque liber profitetur hisce verbis 5): »Revelabitur Messias, filius
 » meus, cum his, qui cum eo sunt; et jucundabuntur qui re-
 » licti sunt in annis quadringentis; et erit post annos hos, mo-
 » rietur filius meus, Messias, et omnes qui spiramentum habent
 » homines, et convertetur sacculum in antiquum silentium die-
 » bus septem... et erit post dies septem... et terra reddet
 » quae in terra dormiunt, et pulvis eos qui in eo silentio habi-
 » tant, et promptuaria reddent quae iis commendatae sunt ani-
 » mae.” Hac cum opinione faciunt *R. Menasse* 6) et *R. Bechai*:
 » Lex oblivioni dabitur ab Israele, nempe *tempore resurrectionis*

1) Vid. SCHORRTEG. o. I. II, p. 570 sqq.

2) Ibid. p. 167.

3) Vid. LIGHTF. o. I. ad Joh. VI: 31.

4) Cf. EISENMENGER, o. I. II, p. 893.

5) Cap. VII: 28 sqq.

6) Vid. CORRODI, o. I. p. 350 sqq.

»nis, non vero in diebus Messiae“¹⁾). Si vero fides habenda est verbis *R. Saadias Gaon*, haec sententia minus vulgaris erat quam prior: »plerosque Israelitas credere, Deum O. M. resuscitaturum esse mortuos tempore liberationis s. salutis (i. e. »Messiae). At paucos de populo nostro inveni, qui non fateantur, illud futurum esse tempore liberationis, sed demum eo tempore futurum dicant, quo transibunt ad saeculum futurum“²⁾). Hisce autem exemplis³⁾ clare patet, quod supra diximus, in definiendo resurrectionis tempore Judaeos minime consensisse, neque igitur Martham enunciasse opinionem omnibus receptam, etiamsi censeatur *Judaicam* adhibuisse loquendi formulam, quod vero semper hypothesis manebit. Esto autem. Quid igitur Judaeis non significare non potuit formula illa: ἀνάστασις ἐν τῇ ἐσχάτῃ ημέρᾳ? Utrinque enim nobis est perserutandum, quippe quum haud magis unum (sc. hanc formulam *non* fuisse Judaicam) quam alterum (sc. revera ita esse) probari possit. Videamus.

Judei omne aevum dividebant in duas majores periodos, □^ל_ו וְהַבָּשָׂר, ὁ αἰών οὐτος, et הַבָּשָׂר □^ל_ו וְהַמֵּלֶלֶת, ὁ αἰών ὁ μέλλων, επείνος, ἐρχόμενος, quod ita notum est et ab omnibus concessum, ut exempla hic possint omitti. Ad alterutram autem periodum η ἐσχάτη ημέρα pertineat necesse esse, res ipsa loquitur; ad utram vero? Inter nostrates a nonnullis viris doctis ita hac de

1) Vid. RHEINFELD: *de saec. fut. in MEUSCHEN: N. T. ex Talm. ill.* p. 1157 sq.

2) Vid. ibid. p. 1131.

3) Cff. exempla in: EISENMEINGER, o. l. p. 894 sq.

re disputatum est, ut in Jadaeorum loquendi usu ἡ ἐσχάτη ἡμέρα significaret ultimam partem τοῦ αἰώνος τούτου; sic statuerunt JENTINK, qui τὴν ἐσχ. ἡμ. minime differre ratus est a ταῖς ἐσχ. ἡμ. 1), SCHOLTEN, qui, quamvis clare effecit, illas formulas omnino esse distinguendas, τὴν ἐσχ. ἡμ. tamen ad ἡμέραν οὐδίνια refert 2), BRÖTER, qui idem statuit 3), a quibus vero LÜCKE 4), MEIJER 5), al. recedunt; et recte quidem. Primo enim hoc jam mirum videtur, Martham scilicet, siquidem formula ἡν τῆς ἐσχ. ἡμ. revera ei significat diem ultimum *hujus saeculi*, de resurrectione loqui ut de eventu remotissimo 6); Jesus enim Messiam habet (vs. 21, 22, 27); at vero, si revera mortuorum resurrectionem exspectavit in ultima quantacunque parte *hujus saeculi*, quin etiam initio dierum Messiae, quomodo,

1) Vid. *Jaarbb.* VII, p. 460 sqq.

2) Vid. *Jaarbb.* VIII, p. 432 sqq.

3) *De Eschat.* I, p. 59. Cf. *Godg. Bijdr.* XVI, p. 362 sqq.

4) Comm. ad h. l. »indem Martha in ihrer wechselnden Gemüthsstimmung an die jüngste Auferstehung denkt“ etc.

5) Comm. ad h. l. recte monet: »Nur in letzterer Weise, als ein tröstendes Verheissungswort auf diese Auferstehung (d. i. am jüngsten Tage) fasst es Martha;.. in ihrer Erwiederung v. 24 drückt sich die Resignation der getäuschten Hoffnung aus.“ ‘Ac revera, nisi Martha censeatur resurrectionem in die novissimo spectasse, verborum contextus prorsus obscurus est.

6) Id concedunt BRÖTER, o. l. p. 91, diserte affirmans: »Tegen het vooraf zijnde en toekomstige: hij zal opstaan ten uitersten dage, in den mond van Martha“ etc. SCHOLTEN, l. l. p. 442: »Bevestigt Hij Martha in het denkbeeld, dat de gestorvenen in hunne graven blijven zouden, om eerst, naar Joodsche voorstelling, ten jongsten dage weder op te staan? Integendeel. Dacht zij aan den dag der opstanding als een nog ver verwijderd tijdstip“ etc.

quaeso, de resurrectione loqui potuit ut de eventu longe remoto, quandoquidem resurrectionis tempus vel jam adesset (praesente enim Messia aderat $\eta\ \epsilon\sigma\chi.\ \eta\mu.$), vel jam jamque mortuorum resurrectio esset exspectanda?

Sed ipsa rei natura fert quod demonstrare nobis proposuimus, Judaeos, formulam $\epsilon\nu\ \tau\bar{\eta}\ \epsilon\sigma\chi.\ \eta\mu.$ conjungentes cum resurrectione, nequaquam potuisse cogitare de ultimo die *hujus* saeculi. Nunquam nimirum ullus Judaeus sibi proposuit resurrectionem futuram esse *antequam* venisset Messias, neque igitur unquam in quantulacunque parte *τοῦ αἰώνος τούτου*; praesente enim Messia, mox saeculum *hoc* iis seclusum erat, praesente scilicet vel *saeculo futuro* vel periodo illa, quae iis audiebat *dies Messiae*¹⁾; nusquam praeterea (quod haud parvi est momenti) resurrectionem in Judaico loquendi usu inveni copulatam cum *saeculo hoc*, semper vero vel cum *saeculo futuro* vel cum *diebus Messiae*. Ex his autem sponte sua sequitur, loquendi formulam Judaicam $\alpha\nu.\ \epsilon\nu\ \tau\bar{\eta}\ \epsilon\sigma\chi.\ \eta\mu.$ (siquidem revera fuit Judaica) Judaeis non potuisse non significare: resurrectionem in fine rerum s. die novissimo²⁾.

Jam transeamus ad aliam quaestionem, quae est de *amplitudine* resurrectionis; num omnes mortuos Judaei crediderunt resurrecturos, an vero paucos?

E locis quibusdam allatis jam videre potuimus, hac quoque

1) Nihil hic refert quaestio, utrum *Saeculum hoc* idem sit ac *Dies Messiae* necne.

2) Omuino tenendum est, de *Judaica* tantum, nondum vero de *Christi eschatologia* hic agi.

de re Judaeis variam fuisse sententiam. Alii enim generalem exspectarunt mortuorum resurrectionem, alii paucorum, i. e. aut Judaeorum tantum, exclusis gentibus, aut piorum tantum Judaeorum, aut omnium, inter gentes etiam, hominum piorum. Qui vero omnium omnia mortuorum accipiunt resurrectionem, primo Israelitas resurgere statuunt, initio sc. regni Messiani, deinde, sc. ad hujus regni finem, ceteros homines ¹⁾. Pauca exempla sufficient. *Sohar Gen.*: »scriptura dicit, Jes. XXVI: 19, »vivent mortui tui"», illi scilicet, qui in terra Israël sepulti sunt, initio. »»Cum corpore meo resurgent"» illi sunt mortui reliquarum terrarum. Et propterea illa corpora excitantur, Israelitarum scilicet, qui ibi sepulti sunt, non autem corpora reliquarum gentium idololatricarum²⁾. Hinc recedere mihi videtur sententia in secundo *Maccabaeorum* libro exhibita, Cap. VII: 14, ubi fratrum illorum quartus sic alloquitur Antiochum: »οἱ μὲν γὰρ ἀνάστασις εἰς ζωὴν οὐκ ἔσται»; verba autem illa haud sine causa addita: »εἰς ζωὴν,» clare ostendunt, ex loquentis sententia tyranno injusto omnino futuram esse resurrectionem, quae vero minime ad salutem, sed ad perniciem ipsum duceret ³⁾. Idem indicant verba sequentia in *Aetit. Apost.* XXIV: 15: »Ἐλπίδα ἔχω εἰς τὸν θεόν, ἣν καὶ οὗνοι προζέχονται, ἀνάστασιν μέλλειν ἐπεσθαι δικαιῶν τε καὶ ἀδίκων,» ubi

1) Cf. CORRODI, o. l. I., p. 91 sqq., 350 sqq.

2) Vgl. SCHOTTIG., o. l. II., p. 574.

3) Cf. vs. 9. ἀραβιών ζωῆς ἡμᾶς ἀραστήσει. Plura e libr. apocr. hac de re dedit LICHENSTEIN in: *Tüb. Cath. Quartalschr.* 1844, IV, recept. in: *Bijdr. v. buitenk. godgel.* IX, p. 296 sqq.

pronomine demonstr., *οὗτοι*, significantur Judaei. Idem porro profitetur effatum rabb.: »Tres classes mortuorum sistent se »die judicii. Primo est eorum, qui perfecte justi sunt, secunda »improborum perfectorum, tertia intermediorum;... perfecte »impii illico scribentur et obsignabuntur ad gehennam, sicut »scriptum exstat (Dan. XII: 2): Et multi ex dormientibus in »terrae pulvere evigilabunt, alii ad vitam aeternam, alii ad »opprobrium”¹⁾; et *Talkut Sim.*: »num etiam gentiles aderunt »temporibus Messiae?... omnis populus et regnum... videbunt »bonum Israelitarum, statim vero in pulverem revertuntur et »in aeternum non vivent”²⁾.

Illa denique confirmat usus formulae »secunda mors” Judaeis usitatissimae, *Onkelos* sic reddit Deut. XXXIII: 6: »Vivat »Reuben, nec secundam mortem moriatur”. Et *Jonathan* Esaj. LXV: 6, »Ecce scriptum est, vitam longam iis non conce- »dam, sed rependam iis peccata eorum, et tradam eorum cada- »vera in secundam mortem; et vs. 15: »Jehovah eos secunda »morte afficiet”³⁾. Ex his omnibus apparet, Judaeos minime concordasse in definienda resurrectionis amplitudine, alii nempe paucis, alii omnibus mortuis resurrectionem quum tribuerint; unde forsitan simul explicari potest qui inter eos obtinuit dissensus de resurrectionis tempore.

Denique si quaerimus, quisnam, Judacis testibus, resurrec-

1) Vid. GFRÖRER, o. l. II, p. 277 sq.

2) Vid. SCHOETTE, o. l. II, p. 624.

3) Vid. LIGHTFOOT, o. l., p. 132.

tionis futurus sit *auctor*, eundem deprehendimus dissensum. Libri *Esrae* et *Henochi* Deum nuncupant mortuorum suscitatorem¹⁾, quibuscum convenient haec: »Traditio scholae Eliæ: »Justi, quos suscitabit S. B. a mortuis» etc.²⁾, et glossa ad h. l.: »Justi, quos suscitabit Deus a mortuis in diebus »Messiae» etc. *Sanhedr.* sol. 90: »Interrogarunt Sadducaeī R. »Gamalielē, unde probatur Deum suscitarūm mortuos? Ex »lege, inquit ille» etc.³⁾. *Midr. Tillin* contra: »Messias resus- »citabit dormientes in pulvere⁴⁾. Ceterum referre licet ad multa exempla supra passim allata; itaque haec jam sufficient.

Breviter nunc sparsa colligentes, haec constituere licet super Judaeorum, Jesu acqualium, sententiam de resurrectione mor- tuorum: »omnes Judæi Palaestinenses, de resurrectione mor- tuorum loquentes, ejusdem corporis, s. carnis, intellexerunt »restitutionem, Sadducaeis autem exceptis, et universe homi- »nis immortalitatem et resurrectionem plane rejicientibus. Cetera »quod attinet, de his omnes minime consenserunt; resurrec- »tionis enim tempus alii initio, alii in fine regni Messiae con- »stituere; dicendi autem formula ἐν τῇ ἑσχάτῃ ημέρᾳ, »si revera formula fuit Judæis usitata, non potuit non iis »significare resurrectionem in fine rerum. Resurrectionis am- »plitudinem quoque varie definiverunt, alii nempe omnes, alii

¹⁾ *Henoch*, cap. I: 9; LXXVII: 1; XC: 20; C: 4. — 4 *Esr.* VII: 33.

²⁾ Vid. *LIGHTFO.*, o. l., p. 363.

³⁾ *Ibid.*, p. 617.

⁴⁾ *Ibid.*, p. 364.

»paucos tantum resurrectionis participes futuros statuentes.
»Major denique Judaeorum pars Deum, nonnulli Messiam resur-
»rectionis habuere auctorem.”

Hicce igitur constitutis, jam transire licet ad ipsius Jesu de resurrectione doctrinam. Justam autem nunc comparationem instituentibus inter Judaicam doctrinam et Christi effata, verae Christianae doctrinae facilis erit et expedita distinctio.

S E C T I O II.

JESU DOCTRINA DE RESURRECTIONE MORTUORUM.

Disquisitiō nostra rite et ordine ut procedat, primo definiamus necesse est, quaenam de mortuorum resurrectione Jesus enunciaverit. Primo igitur quaeritur, quid de mortuorum resurrectione Jesus dixerit s. quomodo de ea locutus sit; qua autem quaestione jam constituere abstinemus, quid revera Dominus sibi voluerit, quandoquidem effata ejus breviter tantum nunc attingimus, neque jam inquirimus in singulorum effatorum significationem.

Loci igitur, ubi directe diserteque de mortuorum resurrectione ipse Dominus loquitur, perpauci sunt; ecce illi: Matth. XXII: 29—32 (loci parr. Marc. XII: 24—27. Luc. XX: 34—38), Luc. XIV: 14, Joh. V: (21, 25) 28, 29, VI: 39, 40, 44, 54; XI: 23, 25.

Enunciata illa vel obiter spectantibus hac mox licet formula conjungere: *Ἐγώ τῶν νεκρῶν ἀνάστασις*, cuius ipse Christus erit auctor, nequaquam afferet hujus conditionis nostrae ter-

»restris vel hujus nostri corporis restitutionem, et futura est »ἐν τῇ ἐσχάτῃ ημέρᾳ.» Haec igitur formula, quam nemo non concedet, breve circumscribit quae Jesu de resurrectione effata nobis praebant explicanda, simul tamen in medio relinquit, quid sit ἡ τῶν νεκρῶν ἀνάστασις, quid ἐν τῇ ἐσχάτῃ ημέρᾳ, quid statuendum de resurrectionis amplitudine; quae igitur omnia nobis restant dijudicanda.

Praeterea, comparationem si instituimus Judaicam inter doctrinam et Jesu institutionem, una illa formula comprehensam, primo jam visu patet, ab illa hanc discrete in nonnullis recedere; quod, quoisque valeat, verum Jesu doctrinae sensum, oppositionis gratia, facile nobis illustrabit. Ille vero dissensus quem in omnibus Jesu doctrinae partibus non ita dilucide observetur, has partes accurate cognoscere paulo est difficultas, de quibus scilicet variae theologorum etiam nunc sunt sententiae.

Primo igitur inquirimus in eam Jesu de resurrectione doctrinae partem, qua a Judaeis se recedere discrete significavit; tum in eam, qua a Judaica doctrina Jesum recessisse discretis verbis non docemur.

§ 1. *Inquiritur in eam Jesu de resurrectione doctrinae partem, qua a Judaeis ipsum recedere discrete significavit.*

Sectione praecedenti jam vidimus, τὴν ἀνάστασιν Judacis significasse conditionis hujus terrestris et corporis ad pulverem redacti hac in terra restitutionem; ad diem usque resurrec-

tiens, Judaeis testibus, mortuorum animae in orco (שִׁנְתָּא) erant congregatae, et, quamvis ex illorum mente animae cum corpore aliquando denuo conjungerentur, ac vere reviviscendi igitur essent capaces, mortuorum tamen tristissima illic conditio haud multum diversa erat a plani interitus absolutaque mortis conditione. Immortalitatis igitur notio non plane Judaeis erat ignota, at longe aberant quin veram hominis immortalitatem cognoscerent. Pauca igitur hac in re inter populares suos Jesus invenit vera, i. e. vitae immortalis fidei elementa, ut ita dicam, multa vero falsa et imperfecta; vera autem illa immunia et intacta erant relinquenda, simul tamen falsa eradicanda, purganda, emendanda, imperfecta supplenda, ita ut hic valeat illud Jesu enunciatum: οὐκ ἡλθον πατελῆσαι, ἀλλὰ πληρῶσαι; quod omnino ad placitum nostrum videtur applicandum. Hanc nimirum agendi ac docendi rationem mox Eum deprehendimus sequentem in disputatione illa a Sadducaeis provocata, *Matth. XXII: 23 — 33* (et ll. par.), quo loco Jesu a vulgari Judaeorum de τῇ ἀναστάσει opinione disertis verbis enunciatur dissensus, ac simul quid de resurrectionis *indole* sit statuendum satis clare explicatur.

Sadducaeи nempe, quos hominis immortalitatem et resurrectionem vidimus negantes, quaestione Jesum aggrediantur (vs. 23 — 28) ex lege Mosaica ac vulgari Judaeorum sententia peccata, qua et resurrectionis doctrinac futilitatem demonstrarent et ipsorum vindicarent incredulitatem. Ex Jesu autem responso lucis clarissim patet, crassam istam resurrectionis notionem Ipsum fuisse aversatum, eique substituisse sublimiorem illam, qua ἡ ἀνά-

στασίς minime afferat corporis conditionisque terrestris restorationem, sed talem conditionem, quae angelorum existendi modo sit similis. Quod, quamvis ita clarum sit, ut ampliorem illustrationem possimus missam facere, omnino tamen notandum est. Etenim maximi momenti dcinde erit animadversio, quae hic in promptu est, Jesum, Sadducacos dum refutat, apertis disertisque verbis enunciare sententiam Judaeorum opinioni directe oppositam; unde patet, nequaquam Eum veritum esse nugas Judaicas aperte oppugnare, nec Ipsi visum esse obscura tectaque oratione involvere vera, etiamsi falsis auditorum notionibus quam maxime essent opposita; quid! quod non veretur popularium suorum exspectationes p̄ae omnibus dilectas, quae de regno Messiano terreno, mortuorum resurrectionem securturo, somnia somniarent ipsis carissima, lactissimum illud rerum futurarum culmen, uno iectu nunc divellere ac plane diruere!

De resurrectionis igitur *natura* firme constat quod antea statuimus.

Sed alia hoc loco adhuc videntur obscura; primo enim Jesu argumentandi rationi et ratiocinationis contextui opus est illustratione; tum amovenda sunt dubia, quae contra veram τῆς ἀναστάσεως notionem hoc e loco vulgo moventur.

Primo igitur illustremus Jesu argumentationem et ratiocinationis seriem. Quo sensu Sadducaeui dicuntur versari in errore, quippe qui essent «μή εἰδότες τὰς γραφὰς μηδὲ τὴν δύναμιν τοῦ Θεοῦ»? (Mt. XXII: 29, Mc. XII: 24). Non potest quemquam latere quid spectet Dominus ad τὰς γραφὰς provocans, quod ipse nimirum explicat (Mt. vs. 31, Mc. vs. 26);

quid autem dicuntur esse $\mu\bar{η}\ \varepsilon\bar{i}\delta\bar{o}\tau\bar{e}s\ \tau\bar{η}\nu\ \delta\bar{u}\nu\alpha\mu\iota\nu\ \tau\bar{o}\bar{v}$
 $\vartheta\ e\bar{o}\bar{v}$? Vulgo hoc ita sumitur, ut ex Dei *omnipotentia s. potestate* Jesus petat argumentum pro mortuorum resurrectione¹⁾; magna vero dubia quoniam cum hac faciam explicacione me impediunt: primo enim Sadducaci minime putandi sunt non agnovisse Dei omnipotentiam²⁾; tum ex eo quod, pro Dei omnipotentia, aliquid fieri *potest*, quomodo, quaeso, prohatur, id revera aliquando facturum Eum esse? denique non video, quomodo vs. 30 (Mc. vs. 25) illustret Dei *omnipotentiam*; an ex eo quod in resurrectione $\alpha\bar{u}\tau\bar{e}\ \gamma\bar{a}\mu\bar{o}\bar{n}\bar{\sigma}\bar{i}\nu\ z.\ \tau.\ \lambda.$ illustratur illa Dei proprietas, sicuti sequentia, $\pi\bar{e}\bar{q}\bar{e}\bar{i}\ \delta\bar{e}\ \tau\bar{η}\bar{s}\ \alpha\bar{v}.\ z.\ \tau.\ \lambda.$, illustrating » $\tau\bar{a}\bar{s}\ \gamma\bar{a}\bar{q}\bar{a}\bar{s}$ “³⁾.

Nullam prorsus video idoneam hujus periodi contextus explicationem, recepta saltem vulgari vocis »*δύναμιν*“ significatione; unde firme mihi persuasum habeo, hanc vocem alio quam *omnipotentiae* sensu hic esse accipiendam. Ac revera, si *δύναμις* h. l. sumitur sensu *essentialiae* s. *ovis* Dei, non deest rerum

1) Vid. plurimos interpr. ad h. l. Alii, quamvis paucis ab his recedunt (e. g. JENTINK in: *Jaarbb.* XIII, p. 150, qui $\tau\bar{a}\bar{s}\ \gamma\bar{a}\ \mu\bar{η}\bar{d}\bar{e}\ \tau.\ \vartheta.$ explicat: »de kracht Gods der Schriften“, item STIER: *die Reden des Herrn Jesu*), codem tamen sensu accipiunt.

2) GROTIUS ad verba $\mu\bar{η}\bar{d}\bar{e}\ \tau\bar{η}\nu\ \delta\bar{u}\nu\alpha\mu\iota\nu\ \tau.\ \vartheta.$ annotavit: »Non tam quod erederent dissolatas corporis partes a Deo non posse recomponi, quam quod putarent, non posse sustentari animas sine corpore.“ Item OLSHAUSEN, ad h. l. »Den allgemeinen Lehrsatz von der Allmacht Gottes bestreitten die Sadducäer nicht.“ Universe interpretes hujus loci nexus laboriose vindicant.

3) Verba nimis illa (Mt. vs. 30; Mc. vs. 25) explicare s. illustrare praecedentia docet vocabulum illud *γνωστός*, nec aliud quid possunt illustrare nisi $\tau\bar{η}\nu\ \delta\bar{u}\nu\alpha\mu\iota\nu$, quum vs. 31 quadret in $\tau\bar{a}\bar{s}\ \gamma\bar{a}\bar{q}\bar{a}\bar{s}$.

contextus idoneus, nec quid restat loco obscuri¹⁾). Nunc enim sic Sadducaeos alloquitur Jesus: »vos, Sadducaeui, futilem illam quaestionem objicentes et mortuorum resurrectionem negantes, magno versamini in errore; quaestionem istam quod attinet, qua scilicet apparet nullum tertium vos videre crassam inter vulgarem illam notionem et planam resurrectionis negationem, profecto non ita disputaretis, si Dei cognosceretis τὴν οὐσίαν s. si hujus memores fuissetis; inde etiam duplex ille vester error!» (οὐ διὰ τὸν τοῦ πλανῆσθε; Mc. XII: 24). »Etenim negatis hominem posse vivere absque corpore hocce materiali; negatis universe, existere posse naturas πνευματικά; ²⁾, ullamque prorsus extra Deum esse substantiam praeter res sensiles. At vero agnoscentes existere Deum, summum sc. absolutumque πνεῦμα, quomodo et negare potestis resurrectionem esse δυνατόν, et absurdam illam ponere quaestionem, quandoquidem οἱ νῖοι τῆς ἀναστάσεως sunt νῖοι τοῦ θεοῦ (Luc. XX: 36), i. e. divinae naturae spiritualis quodammodo particeps!» Hoc igitur sensu argumentationi et contextui nihil restat obscuri vel inertis, contra ratiocinatio apte procedit.

Superest ut sequentes vss. illustremus ac simul amoveamus dubia, quae contra veram τῆς ἀναστάσεως notionem vulgo

1) Voceem »δύναμις» nonnunquam hoc sensu sumendam esse, docent e. g. Mt. XXVI: 64, Luc. XXII: 69; priori loco γένεται δύναμις sign. *ipsum Deum* (abstr. pro concr.); hoc sensu eam sumi posse docuit ΒΟΥΣΤΟΡΦ, lex. *talm. ad v. נִירא*, his verbis: »apud Rabb. et Cabb. refertur inter Epitheta Dei, ad significandum *ipsum Deum* praepotenciam; ... cum praefixo art. נ, ut Graeci dicunt γένεται δύναμις.»

2) Act. XXIII: 8.

nostro e loco hauriuntur. Quum vero haec ad resurrectionis *tempus* magis pertineant, quo nimur definiendo Christus nec hoc loco nec alibi dissensum suum a Judaeorum opinione disertis verbis enunciaverit, illa ad sequentem paragraphum sunt referenda.

§ 2. *Inquiritur in eam Jesu de resurrectione doctrinae partem, qua a doctrina Judaica ipsum recessisse disertis verbis non docemur.*

Quamvis in sequentibus vss. de resurrectionis tempore nihil a Jesu diserte definiatur, vulgo tamen ab iis, qui improprie sumant τὴν ἀνάστασιν, nec igitur ejus tempus statuant in fine rerum s. die novissimo, hic noster locus ad ipsorum sententiam vindicandam adhibetur. Antequam vero de hisce dicamus, ipsa haec Jesu argumentationis pars paucis est illustranda (Mt. XXII: 31, 32. Mc. XII: 26, 27. Luc. XX: 37, 38).

Sadduceorum ineptam quaestionem jam vidimus a Jesu reprehensam ac unum igitur argumentum pro resurrectionis negatione jam iis sublatum; sed aliud adhuc iis restat, ac ipsorum ratiocinationis fundamentum quidem, cui omnia superstruerent. Defuncto namque corpore, ita loquebantur, extincta est vita, cum corpore anima evanescit, quum haec ab illo non sit diversa (deficit nubes et abit, sic descendens in sepulcrum nunquam reddit), ergo quomodo anima, quae non exstat, unquam potest denuo conjungi cum corpore dissoluto, i. e. (nam hoc ipsum Judaeis erat resurrectio) quo tandem modo evenire potest resurrectio mor-

tuorum? Jam syllogismi hujus *minor* propositio (sc. resurrectionis est animae cum corpore restituto nova conjunctio) a Jesu iis abrogata est; nunc iis auferit propositionem *majorem* (sc. mortui vita prorsus carent), unde falsam esse *conclusionem* necessario sequitur¹⁾. Haec Jesu disputandi ratio omnino notanda est; etenim non id agit, ut ex formula illa: »Ego sum Deus Abraham, etc." petat *exegeticum* pro mortuorum resurrectione *argumentum*, sed ut *contra Sadduceos* ipsorum doctrinæ futilitatem exponat; minime igitur nunc hoc sibi velle censendus est Dominus, ut mortuorum resurrectionem *directe* probet; sufficit enim falsae Sadduceorum argumentationis, falsae hypothesi superstructae, refutatio. Ne dicat quis, ipsa verba (*περὶ δὲ τῆς ἀναστάσεως, simil.*), quibus utitur Dominus, probare contrarium; id enim summo jure negatur; etenim minime sic legendum est: *περὶ τ. ἀν. τ. νεκρῶν οὐκ ἀνέγνωτε, etc. sed: περὶ δὲ τ. ἀν. τ. νεκρῶν, οὐκ ἀνέγνωτε, etc.*²⁾. Illo igitur modo Jesus locutus est: »quod vero mortuorum resurrectionem »attinet (clarius apud Mc. »quod vero attinet mortuos"), ne

1) Licet, perspicuitatis gratia, Sadduceorum disputationem a nostro loquendi genere explicare.

2) Neque Lucas verba sic explicanda sunt: *ὅτι δὲ ἦγ. οἱ νεκροί, (νοῦτοι) γὰρ Μ. ἐμ. etc.; sed ὅτι δὲ ἦγ. οἱ ν. idem dicunt ac περὶ δὲ τῆς ἀν. τ. ν.; ζητήνυσεν* non significat: probavit, sed *indicavit*, i. e. ita locutus est, ut huic consequens sit; supplendum enim est: *mortuos vivere*, applicata WINERI regula: »Der Fall, wenn ein Wort oder eine Wortform aus einem vorhergehenden oder nachfolgenden herauszunehmen ist etc.” Vid. ejus *Gramm.*, p. 652. »In allen diesen Fällen liegt die Notwendigkeit einer Ergänzung »in dem Unvollständigen des Satzes (grammatisch und logisch betrachtet) »vor.” p. 654. Sensus igitur est: »quod attinet resurrectionem mortuorum, Moisés ctiam indicavit mortuos vivere etc.”

"nimis urgeatis illud *νεκοι*, mortui enim dicuntur, sed revera non sunt, nam vivere pergunt; quod probatur e S. S. his verbis etc." Itaque nunc Sadducaei non amplius contendere poterant resurrectionem esse pro nihilo habendam, quod anima, quae post corporis obitum nihil esset, cum corpore nunquam posset denuo conjungi; utramque enim hypothesis, ut falsam, iis abripuit Jesus ¹⁾.

Haec sufficient ad ipsum locum illustrandum; hoc unum in primis teneatur, Jesum scilicet pro mortuorum resurrectione non *directe* voluisse argumentari, qua nimis argumentatione ei non opus esset in disputatione, quae cum *Sadducaeis nunc ipsi* erat. Quae observatio haud parvi nunc nobis erit momenti ponderantibus argumenta, quae hoc e loco sibi petunt allegoricae *τῆς ἀν.* notionis fautores i. e. ii, qui resurrectionis tempus statuendum putent vel statim post cujusque hominis mer-

1) Vix dici potest, quot sint hujus loci interpretationes. Jam GROTIUS urget vocem »*Θεός*», hoc modo: »Beneficii autem capaces non sunt qui mortui sunt, si perpetuo in mortis statu sunt mansuri. Sequitur ergo restituendos eos esse in vitam, ut peculiariter atque eximie Deus ipsorum Deus, hoc est *εὐεργέτης*, esse possit»; cum eo faciunt DIES COTES, o. I. p. 174 sq. BENGELIUS, o. I. p. 36, al. Multi alii rei cardinalem quaerunt in tempore quo Deus ita locutus sit; ita e. g. OLSHAUSEN Comm. ad h. l., DONKER CURTIUS, o. I. p. 168, qui aequa ac STORRIUS *ἀγείρονται* explicat: posse resuscitari. Alii Jesum contra Sadd. argumentatum esse affirmant judaico interpretandi more; ita e. g. STOLZIUS in *Erläut. z. N. T.* ad h. l. STRAUSS, L. I., I, p. 646 sq. KUINOELIUS, addens: »Neque Jesus rem tam syllogismo convincebat, quam potius animum percellebat.» PAULUS in Comment. ad h. l. verba »*οὐν ἐστιν ὁ Θεός* etc.» interrogative summis. Alii aliter. Proxime absum a MEYERI sententia, quamvis non plane cum eo faciam; vid. ejus Comm. ad h. l. Cinaes vero in eo laborare videntur, quod prebare cupiant id quod ipse Jesus directe probare minime sibi proposuit.

tem, vel (sensu morali) hac jam in vita, quo tempore ad veram vitam homo a Christo ducatur. Priorem sententiam inter nostrates recens strenue propugnavit BRIËTII. Hunc si audimus, e Jesu pro resurrectione argumentatione non sequi non potest, patriarchas illos resurrectionis jam participes factos esse, quod universe de omnibus mortuis valere debet, quam ob rem resurrectionis tempus statuendum est statim post cojusque hominis mortem¹⁾.

At vero minime argumentatur Jesus pro τῇ αὐτοστάσει, quod jam vidimus; hoc unum probat, homines illos, quamvis mortui sint, vivere Deo s. vita non carere. Itaque conclusio illa non valet.

Alia BRIËTII animadversio hujusmodi est: »Jesu argumentatio pro futura corporis restitutione nihil valet; ergo ipse Dominus censeatur necesse est fuisse sententiae, mortuorum resurrectionem statim sequi post mortem»²⁾.

Sed primo tenendum est, Jesum resurrectionem minime aequi-parasse *futurae corporis restitutioni*³⁾; contra ipse Dominus modo hanc sententiam diserte improbaverat; ergo Sadducei non poterant jure a Jesu quaerere argumentum pro futura corporum

1) Vid. *Godel. Bijdr.* XVI, p. 349 sq., 491 sq.; cf. ejusdem op. *de Eschatologie*, I, p. 140. Cf. SONIUS SWAAGMAN in: *Waark. in Liefde*, 1840, p. 306.

2) Vid. II. II.

3) BRIËTII verba haec sunt: »zijn bewijsgrond voor de toekomstige herleving des lichaams», vid. ibid. p. 492; et »Anders mag het niet regt te bevreemden, waarom de Sadduceërs niet op deze bewijsvoering van Jezus hebben geantwoord, dat Hij nu wel de voortdureng der ziel na den dood had bewezen, in het voorbeeld der Aartsvaderen, . . . maar toch nog niet de herleving dier gestorvene lichamen.” ibid. p. 350.

restitutione; tum, quod jam atulimus, Jesus non argumentum profert pro *τῇ ἀναστάσει*, sed pro continua, post mortem etiam, vita. Itaque haud magis valet haec conclusio.

Tertium denique argumentum, quod haud minus pro *sua* opinione urget JENTINKIUS, alterius memoratae sententiac fautor, BRÖTTIUS sumsit e verborum quo hic occurunt *tempore praesenti*. E formis scilicet *γαμΩΣΙΝ*, *γαμΙΖΟΝΤΑΙ*, *ἐγείρΟΝΤΑΙ*, efficiunt Jesum aut significasse, resurrectionem minime esse statuendam in tempore longe remoto, sed statim post mortem¹⁾, aut *τὸν αἰώνα ἐκεῖνον*, quocum resurrectionem conjungit Jesus (apud Luc.), hac jam in vita esse praesentem²⁾.

Unum vero nego sicut alterum. Primo enim, si temporum usum ita urgere vellem, codem jure affirmare possem, Sadduceos, *οἱ λέγοντες μὴ ΕΙΝΑΙ ἀνάστασις*, e vulgari Iudeorum sententia dum loquuntur, idem atque viri illi docti de resurrectione statuisse, quippe qui haud minus affirment resurrectionem non *futuram esse*, sed *adfuisse semperque adesse*. Sed temporum illorum praes. idonea reddi potest causa: simili modo e nostro loquendi genere dicitur e. g. "est post hanc vitam vita" etc.; simili modo Paulus apostolus querit: *πῶς ἐγείρΟΝΤΑΙ οἱ νεκροί* (1 Cor. XV, 35), ubi praesens a WINERO³⁾

1) Vid. argumentationem in: *Godg. Bijdr.* XVI, p. 492.

2) Vid. *Jaarbb.* XI, p. 628 sq., XIII, p. 138 sq.

3) Vid. *Gramm.* p. 308. Neque hic praetermittenda sunt haece WINERI verba: "wo eine Verwechslung der Tempora Statt zu finden scheint, ist dies entweder leerer Schein und es lässt sich in der That ein (besonders

sic explicatur: »*i Cor. XV, 35* wird nicht von der Todten-
»auferstehung als Factum (der zukünftigen Zeit), sondern
»als Dogma gehandelt”; *quod omnino de nostro loco valet.*
Itaque temporis praes. usus hic nihil probat.

Sed practerea duplex utriusque memoratae illi *τῆς ἀναστά-*
σεως notioni ejusque temporis definitioni obstat argumentum,
alterum morale, alterum logicum.

Morale. Novimus, quid de mortuorum resurrectione cogita-
verint Jesu auditores, Judaei; constat sanc, nullum hominem
Judaicum unquam potuisse, ex ipsius mente, resurrectionem
copulare cum eiusque hominis mortis momento, nec magis
cum eo vitae momento, quo a Messia ad veram ipse duceretur
vitam. Item vidi, Jesum minime veritum esse, errores,
Judacis vel carissimos, disertis verbis reprehendere. Duo
hac probe teneantur. Fac nunc, Jesum revera allegorico quo-
dam sensu hic locutum esse de *τῇ ἀναστάσῃ* et *τῷ αἰώνι*
ἐπείνῳ; nonne prorsus aenigmatisce sententiam enunciasse cen-
sendus esset Magister sapientissimus? etenim, quomodo unquam
e hisco Jesu verbis allegoricum illum sensum potuissent congi-
cere auditores plane opposita notione imbuti, vix aut ne vix
quidem intelligi potest; quid! quod grammaticae ac omnino sub-
tiliter distinguendo verborum tempore praesenti a futuro, effi-

»rhethorischer) Grund nachweisen, warum dieses und kein anderes Tempus
»gebracht worden ist, etc. »Es steht also das Praesens nur scheinbar
»für das Fut., wenn der Schriftsteller eine noch bevorstehende Handlung
»als eine solche, die ganz gewiss eintreten wird, die schon beschlossen und
»unabänderlich festgesetzt ist, . . . bezeichneten wollte". *Ibid.* p. 306 sq.

cere debuissent ipsorum errorem tam magni momenti! quia tandem e causa nunc tam obscure ac implicite sententiam suam enunciasset, et inceptum mox derelinquens, erroris diuidium tantum Judacis cripusset, quem plane iis eripere ipsa nunc ei esset opportunitas, disertis verbis jam repudiata falsa opinione de resurrectionis natura? Nullam prorsus video idoneam causam qua, eodem temporis momento, ac eosdem quidem contra homines, diversam Dominus sequeretur agendi ac decendationem. Ne vero dicat quis, accommodationem formalem hic posse applicari, putans, Jesu sapientiam tulisse ut Judaico loquendi genere interetur eorumque notionibus ipsius ideas annexeret, ac eo quidem consilio, ut falsa pectentim emendaret, terrena redderet coelestia, minime vero ut errores confirmaret¹⁾. Verum enimvero haec, quamvis universe sint concedenda, hic non valent; cteum limites, qui accommodationem definiunt formalem, viri illi hic transgreduntur, accommodationis formalis transit in materialem, dissimulatio licita fit simulatio illicita.

Aliud enim est, errorem non impugnare, aliud repetere cum

1) Vid. nr. 1, *de Eschatologie*, I, p. 145 et passim. Cf. SONIUS SWAAGMAN, l. l. p. 295 et passim. STORT in *Jaarbb. XI*, p. 505 sq. JENTINK in *Jaarbb. XIII*, p. 138 sic concludit: »Wij kunnen derhalve niet toegeven, dat Hij door hunne spreekwijze over te nemen, tevens hunne exegese van die spreekwijze zou hebben gewettigd». Recte; reprehendit enim Jesus Sadduceos, ac probare conatur id quod illi negant; si vero consetur Dominus propugnasse moralem illam τῆς ἀναστάσεως notionem, quid tunc reprehendit Sadduceos, cum ipsis faciens in resurrectionis negatione? nonne ita Jesus probare conatur id, quod Sadduceis *minime negant?* An vero negarunt, hominem hac in terra posse «moralis resurrectionis vitae» participem fieri?

»snisque sermonibus usurpare?“¹⁾). Scilicet Jesus censendus esset errorem non tantum non impugnasse, sed repetuisse etiam, suisque sermonibus usurpasse si vocabulis »ἀράστασις et αἰών εκεῖνος“ usus esset sensu auditoribus plane ignoto, nec simul tamen carvisset, ne vulgaris sed falsa illorum notio ipsi ab auditoribus tribui posset. Sic igitur Judaico loquendi genere usus fuisset Dominus, nequaquam *eo consilio ut* errores confirmaret, sed ita tamen ut inde *non sequi non potuisset* errorum confirmatio; quod vero quam minime quadret in divinam ejus sapientiam infractumque veri amorem, in promptu est. Neque enim objiciat quis: »nec omnia ubique nec omnibus eodem modo dixerunt (divinitus missi doctores)“²⁾; nam profecto haud magis alibi quam hic ita locutus

1) STORR, *de Sensu hist. opusc. acad.*, I, p. 24.

2) STORR, I. l. p. 6. Digna sunt quae hic in memoriam revocentur ejusdem viri vera memorabiliaque haec monita, quae in sequenti etiam nostra disputatione probe erunt tenenda; ibid. p. 49: »Etsi vero certissimam antiquarum, quas Christus et app. respicere potuerint, opinionem «Judaicarum memoriam ipsa N. T. scripta continent: tamen ne id quidem sequitur, ut anctorum sacrorum verbis et formis dicendi eas prorsus notiones «tribuere licet, quas cum iisdem a Judaeis aequalibus copulari consueverisse, certo, quin ipsius N. T. indicuisse constet. Nam quum Christus et app. nova (i. e. ea etiam, quae in V. F. scriptis tradita, sed Christi auctoritate nondum intellecta fuerant) multa et aequalibus incognita docere voluerint, non poterant, quin nove multa dicerent, h. e. verbis et phrasibus, cum quibus aliam notionem, at simile quid habentem novae ideae, vulgaris consuetudo conjunxerat, ad suam sententiam exprimendam uterentur, sed *novis* simul ad generalem, quae utrinque agnosceretur, doctrinam *adjunctionibus* caverent, ne vulgares illae determinationes, quae communem opinionem falsam efficiebant, tribui ipsis possent, qui, novis et contrariis ideis adjungendis, corrigerre potius illam studebant.“ Cf. SÜSSKIND: *über die Gräuzen der Pflicht, keine Unwahrheit zu sagen*, in FLATT, *Mag. f. Dogm. u. Moral*, XIII, p. 1 sq.

est Dominus, ut unquam potuissent divinare, e Christi mente resurrectionis tempus statuendum esse vel statim post mortem, vel hac jam in terra. Quod postea videbitus.

Alterum obstat argumentum *logicum*, quod in primis valet contra JENTINKII definitionem, quam scilicet gravibus hic locus premit difficultatibus; ea enim recepta, inepta quaedam et plane ridicula Christo tribuuntur effata. Anne sibi voluit Jesus, eos, qui *moralis resurrectionis vitae* hac in terra fiant participes, nec matrimonia inire, nec posse mori? Evidem scio, hanc difficultatem sibi ipsi JENTINKIUM objecisse, eamque removere conatum esse monendo, non nimis hic urgendam esse textus literam, ac verborum sensum non e nostro, sed ex Orientali loquendi genere esse explicandum etc. 1). Verum enim vero, quamvis nolim nimis urgere literam, simul tamen nolim nimis eam praeterire, nec possum quin quaeram, quaenam igitur sit allegoriae res significata; quodsi respondeatur, verbis illis ($\delta\tau\alpha\nu\gamma\alpha\varrho\epsilon\nu\tau\varepsilon\kappa\varrho\omega\nu\alpha\nu\alpha\sigma\tau\omega\sigma\iota\nu$ 2), οὐτε γαμοῦσιν η. τ. λ. Οὐδὲ γάρ ἀποθανεῖν ἔτι δύνανται, ισάγγελοι γάρ εἰσιν.) circumscribi hominem πνευματικόν 3), non possum non mirari, quomodo istiusmodi allegoria cuiquam, nisi praejudicatis opinioribus captas sit nec rerum contextum plane praetermittat, possit clara esse nec nimis allegorica; etenim, missa nunc ipsa alle-

1) Vid. Jaarbb. XIII, p. 144 sq.

2) Marci textum hic attulimus, quia disertius etiam quam loci par. obstat JENTINKII interpretationi verborum $\nu\bar{\varepsilon}\nu\gamma\alpha\varrho\tau\bar{\varepsilon}\sigma\iota\nu$ (apud Matth.) sic se habenti: »in betrekking tot de opstanding." Vid. ibid.

3) Vid. II. II.

goria, missa etiam Sadducaeorum quaestione, prorsus inexplicabile est, quomodo Dei effatum: *'Εγώ εἰμι ὁ Θεός Ἀβραὰμ τοῦ πατέρος μου, καὶ οὐκ εἶστιν ὁ Θεός οὗτος θεός νεκρῶν,* ἀλλὰ ζωντων cohaereant cum eo, quod hic Christo tribuitur, consilio, sc. illustrare veram τῆς ἀναστάσεως notionem, i. e. *vitae resurrectionem moralem.*

Altera quoque resurrectionis notio, quac eum mortis momento eam conjungit, hoc loco premitur ejusdem generis difficultate. Fac enim, illam revera Jesu fuisse sententiam, fac etiam Judaeos potuisse hoc sensu allegorico τὴν ἀνάστασιν εἶπεν τὸν αἰώνα ἐκεῖνον intelligere, quod vero omnino in dubium vocamus e causis jam allatis; esto autem. Nunc igitur vitae illius post mortem (i. e. resurrectionis) hanc Dominus proposuit notam quod οὐτε γαμούσιν οὐτε γαμίσκονται. Contextus autem clare docet, Christum hisce verbis enunciare sententiam a vulgari Judaeorum opinione diversam, Eum Judaeis obloqui iisque aperire occulta quaedam, quae vel nescirent vel perperam scirent; illis igitur Jesu verbis inest antithesis s. sententia, Judaeorum opinioni opposita, quae vero amittitur, nec minus igitur verborum vis, recepta allegorica illa resurrectionis interpretatione; etenim minime Judaeis erat opinio, futurum esse ut in ea, quae post corporis obitum degeretur, vita contraherentur matrimonia, quod vero ἐν τῇ ἀνάστάσει omnino exspectarunt futurum. Hoc igitur modo omnis contextus tolleretur vis, quae contra neminem potest latere, si vulgarem resurrectionis notionem (quoad tempus) retinemus; ita enim verba illa Judaeis aperuere res plane occultas, ab ipsorum opinione prorsus diversas, i. e. mortuorum resurrectionem in

fine rerum futuram minime afferre corporum restitutionem, sed talem conditionem, quae a vita hac terrestri quam maxime sit diversa.

Nostram igitur de resurrectionis tempore sententiam jam vindicat locus explicatus, in quo paulo diuinus commorari necesse fuit, quandoquidem eo potissimum nituntur contrariae opiniones. Nanc transire licet ad Evangelii Joh. eos locos, qui resurrectionis tempus disertis verbis circumscribant.

Antequam ad singulos locos spectandos progredimur, brevem de Johanneo Evangelio animadversionem juvat praemittere. Etiamsi nimirum nulla prorsus conceditur contradictio quae exstet doctrinam Christianam inter, qualem offerat quartum Evangelium, et synopticorum doctrinam, universe tamen illud spectantibus mox patet, haud sine causa Joh. Evangelium dici τὸ πνευματικόν. Neque enim eschatologiam insipientes latere potest, eos theologos, qui hanc doctrinae Christianae partem studeant spiritualem reddere, Joh. maxime Evangelio nisi posse sibi videri; etenim ad unam sere omnes rerum eschatologicarum denominations, in ceteris Evangelii occurentes, hic desiderantur, una excepta τῇ τῷ νεκρῷ αὐτάσσει, quod placitum hic potissimum diserte illustratur et confirmatur¹⁾. Propterea SCHOLTIUS, locos, quibus disertis verbis placitum illud continetur, glossarum instar abjiciens²⁾, magis sibi constat quam illi,

¹⁾ Etiam REUSS, *Histoire de la théol. Chrét.* etc. II, p. 461 affirmat: in Ev. Joh. «De tous les faits eschatologiques, le seul dont il soit question en passant [?], c'est la résurrection des morts.»

²⁾ Vid. II. II.

qui artificiosa quadam et contorta interpretatione resurrectionis notionem a quarto Ev. removere haud minis conentur; quo antem jure ita agant, postea erit videndum. Nunc sufficit, ex ea, quam explicavimus, animadversione a priori jam constituere probabilitatem, dogma τῆς ἀναστάσεως τῶν νεκρῶν omnino esse retinendum in placitis Christianis; neque vero nomine tantum, sed summo jure; sublata enim tota rei *notione*, quidni deleatur *nomen*?

At vero neque illam esse tollendam, neque hoc delendum, singuli docent loci. Ac primo quidem Joh. XI: 23 sq. Hic a moralis resurrectionis propugnatoribus Jesus perhibetur enunciasse opinionem, τὴν ἐσχάτην ημέραν, et simul igitur mortuorum resurrectionem, quo loqueretur tempore jam adfuisse¹⁾. Quam vero explicationem primo orationis contextus redarguit; recte enim vedit WEIZELIUS²⁾ monens, nisi omni privatetur locus contextu et analogia, Jesu verba nequaquam posse accipi de morali ἀναστάσει, quandoquidem Jesus spectat *Lazari physicam* resurrectionem; tum, si revera affirmatio vs. 23, 25 nonnisi morali sensu esset sumenda, minime huic conveniens esset futurum ἀναστήσεται; tunc enim legeretur »ἀνέστη“ s. »ἀνέστηε“ sc. vivens s. dum vixit, frater resuscitatus est per fidem quam in me, Messiam, habuit; futurum autem quomodo explicari posset, non video. Simul nunc perspicuum est,

1) Vid. JENTINK, *Maranatha*, p. 101. Jaarbb. VII, p. 463, 475. Cf. SCHOLTEN in: Jaarbb. VI, p. 446 sq.

2) *Stud. u. Krit.* 1836, p. 632.

Jesu verba „Ἐγώ εἰμι ἡ ἀνάστασις” minime probare resurrectionem jam adesse; sic enim mox sibi ipse contradixisse Dominus censendus esset. Neque enim moralem resurrectionis significationem confirmat totus loci contextus. Martha exspectat fratrem resurrectum ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ, quibus verbis indicat resurrectionem in fine rerum futuram (in medio nunc relinquimus, vulgaremne enunciet opinionem necne). An vero huic ejus exspectationi obloquitur Jesus? minime; potius candem ipse verbis recepit¹⁾, simul vero gravia quaedam sublimaque addit enunciata, Judaismo ignota. Resurrectionis enim qualis Judaismo esset notio absque beata piorum vita post mortem (conditio nimirum illa in orco longe aberat quin esset *vita*), quam minime accommodata erat ad consolandam sororem de fratre mortuo lugentem. Vera igitur sublimisque illa hominis immortalitatis notio Judaismo deerat; etenim umbrae instar in orco quodammodo existere ac post aeva demum reviviscere, ea non est *hominis immortalitas*; hominis enim vitam corporis obitus minime potest abrumpere, et quotquot Christo hac in vita fidem habuerint, his erit continua vita beata, η Σωή καὶ εἰς. Hoc autem Martha nondum noverat, vel, si quando antea a Christo jam audiverat, capta nunc dolore prorsus hejus veritatis inimemor est. Ille igitur explicatur, verbo tantum Jesum monere de τῇ ἀναστάσει, fusius contra de τῇ ζωῇ;

1) Reete WEIZEL, I. I. p. 635: „Die Antwort Christi aber ist nicht eine Correctur jener Vorstellung (Martha's).” Cf. VAN OOSTERZEE in: *Jaarbb.* IX, p. 707 sq.

vitae enim notio non tantum ei ignota fuit, sed praे omnibus etiam ad consolandam eam accommodata¹⁾. »Omnino» ita nunc loquitur Christus »verum est quod dixisti; ac ego quidem illius resurrectionis exsisto auctor; at vero altius procedas cogitatione, nam ego non resurrectionis tantum, verum beatæ etiam vitae continuae exsisto auctor etc." Vocabuli nimirum *καὶ* (vs. 25. η ἀνάστασις καὶ η ζωή) ea vis est, ut explicandum sit *verum etiam*, quod facile intelligitur, si post »η ἀνάστασις« breve temporis intervallum cogitatione supplentes, hoc modo legimus: 'Εγώ εἰμι η ἀνάστασις . . . καὶ η ζωή, applicata WINERI regula infra allata²⁾, qua sc. vocula *καὶ* nec mere copulative nec epexegetice est explicandum. Sic igitur notionem resurrectionis εν τῇ ξοχάρῃ ιμέρᾳ hic confirmare potius quam ei obloqui censendus est Jesus supplendo id ipsum quod Judaismo aberat.

1) REUSSII igitur conclusio minime valet: »la 'croyance de Martha «(de la résurrection générale des morts) . . . non pas précisément combattue par Jésus, mais dépourvue de toute valeur théologique» o. l. II, p. 461.

2) Gramm. p. 513. »In den meisten Fällen, wo *καὶ* nach unserm Gefühle mehr als einfache Copula ist, reicht man, ohne Dunkelheit zu veranlassen, mit *und* aus, und diese Partikel hat der Uebersetzer, welcher das Colorit der Sprache nicht zerstören will, beizubehalten, während der Erklärer sie mit einer speciellen Conjunction, dem Geiste der ausgebildeten Sprachen gemäss, vertauschen mag; der Gebrauch des *καὶ* in solchen Fällen beruht nicht auf gänzlicher Misskenniss des eigentlichen Satzverhältnisses; vielmehr ist zu bedenken, dass die *Betonung* in den alten (bes. einfachen) Sprachen Manches deutlich mache, was *wir* (beim Schreiben schon den Leser im Auge habend) durch den Bau des Satzes »selbst ausdrücken.“ Cf. p. 515.

Quae hucusque disputavimus, tacite admissa hypothesi, Marthae verba (*ἀν. εἰ τὴ ἐσγ. ἡμέρα*) enunciare vulgarem Iudacorum opinionem, ejus vero hypothesos antea constituimus improbabilitatem, ea majori pro parte contra alteram etiam resurrectionis explicationem valent. Si autem statuimus, illam loquendi formulam a Martha esse receptam e praecedenti quadam Christi institutione, non esset quod adhuc disputaretur; at vero, quum unum haud magis constet quam alterum, ab illa quoque parte nobis disputandum est, qua hypothesis illa admittatur. Quodsi nunc pergimus ita rem spectare, tria adhuc nobis impediunt argumenta, quominus Jesum hic docere concedamus, resurrectionem statim sequi post mortem.

1°. Lazarus paucos ante dies mortuus est; si autem Jesus significare voluit, *τὴν ἐσχάτην ἡμέραν* esse vitae hujus terrestris ultimum diem, unde sequeretur, resurrectionem statim sequi post mortem, prorsus ineptum fuisset dicere *ἀναστήσεται οὐδὲλφός σου*, quum contra huic sententiac congruens fuisset tempus perfectum. 2°. Jesus semel iterumque vocem “*ἀναστασίς*” usurpat sine ulla explicatione quoad ejus tempus; quodsi autem Martham docere voluisse, statim post mortem illud esse statuendum, hoc consilium ea, qua nunc agit, ratione minime consequi potuit; sic enim accommodatione usus fuisset quae non tolleret, sed confirmaret errorem; praeterea nulla adest causa, qua istiusmodi accommodatione nunc uteretur, quandoquidem de vita in homine aeterna potissimum nunc ipsi esset agendum, sicuti ipsa docet oratio; potuisset igitur omitti formula, et, nisi illicita uteretur Dominus simulatione, vel omitti

debuisset, vel diserte ab illo illustrari 1). 3º. η ἀνάστασις omnino diversa est a τῇ ζωῇ, sicuti ἀναστῆναι, ἐγείρειν a ζωοποιεῖν, quod clare patet e loco Joh. V: 24: ὁσπερ γὰρ οἱ πάτηοι ἐγείρει τοὺς νεκροὺς καὶ ζωοποιεῖ, ubi, nisi verbis illis diversa sit significatio, inepta adesset tautologia 2).

Haec sufficient ad probandum, loco Joh. XI: 23 sq. nullum argumentum inesse contra thesin nostram, plus uno autem pro ea, resurrectionis tempus, Christo teste, statuendum esse die novissimo. Sed aliis locis haec thesis quam maxime stabilitur, de quibus nunc videamus.

Primo moneamus, locum Joh. V: 25. nobis esse omittendum, ubi nimirum de morte spirituali, minime de mortuorum resurrectione sermo fit 3). Totius hujus periodi contextum breviter repetere necesse videtur, unde simul sequentia (vs. 28, 29) paululum jam illustrabuntur. Jadaei, sicuti notum est, mox post Messiae adventum mortuos (vel pios vel cunctos Israelitas) exspectarunt resurrecturos; beati illi, qui resurrectionis hujus participes, regni Messiani deliciis simul fruerentur! At vero haec Judaeorum opinio falsa est; Christus enim regnum sibi condidit minime terrenum sed spirituale. Quomodo autem Iudeos Christus illa docebit? Jam se ipsum indicavit Messiam

1) Vid. pag. 56 not. 2.

2) Falsum igitur est hoc RETSSI effatum, o. I. II, p. 461: »Cette phrase (*ἐγένετο ἀναστήσων αὐτὸν*) ne dit ni plus ni moins que cette autre (XI: 25), νὰρ ἀποθάρῃ ξήσεται.” Cf. BRIER, *Godg. Bijdr.* XVI, p. 365.

3) Omnino vid. SCHOLTEN, »Geschiedkundig-kritisch overzigt der exegese van Joh. V: 25 in verband met vs. 28, 29,” in *Jaarbb.* VI, p. 419 sq.

(vs. 17), quod Judaeos non latuit (vs. 18). »Filius», ita nunc alloquitur Dominus auditores infitias eentes »Filius οὐς θέλεις «ζωοποιεῖ (vs. 21), nec minus Ei Pater dedit τὴν ζωήν; »hoc autem judicio exempti sunt illi, qui verbis meis et Patri »habeant fidem. Revera adest tempus illud (nam adest Messias), »quo vos mortuorum exspectavistis resurrectionem (primam)!¹⁾; »qui enim spirituali morti essent subjecti, nunc, si verbis meis »fidem habent, ad veram ducuntur vitam» (vs. 25)²⁾. Haec Christi potestatem τοῦ ζωοποιεῖν et τοῦ ζωήν ποιεῖν nunc vss. 26, 27, paucis illustrant. »Quid autem? an etiam ζωήν »ποιεῖν?» haec nimirum quaestio Judaeis in promptu erat; »quinam vero hanc in ζωήν immittuntur? num mortui? at »vero ipse dixisti, mortuos, proprie sic dictos, nunc non re- »suscitatum iri; practerea illi, quos e spirituali morte ad veram »vitam suscitaris, te ipso teste, εἰς ζωήν non veniunt; ergo »quinam supersunt, de quibus valere possit illud judicium?»³⁾. Contradictionem igitur, quae variis ipsius enunciatis inesse videri posset, et causam Judaeorum mirationis, nunc tollit Jesus (vss. 28, 29), provocans ad illud tempus, quo omnes, quotquot sint, mortui resurrectionis fient participes, ac pro varia quidem, qua hac in terra vitam egerint, ratione, resurrectionis vel ζωῆς

1) Observandum est, Jesum vocibus »ἀνάστασις, ἀναστῆναι s. ἔγει-»ρειν» hic non uti, sed Eum loqui de τῷ ἀνόνειν τῆς φωνῆς, ζῆν. etc.

2) Facilo Judaei intelligere poterant, Jesum nunc significare mortuos sensu tropico, propter addita verba: καὶ νῦν ἔστιν.

3) BRÉTIO assentior, sic explicanti nexum (vs. 28): »Het voorwerp der verwondering is nu... het oordeel of de ζωής.» Vid. de *Eschat.* I, p. 149.

vel *κρίσεως*. Et haec quidem universalis est mortuorum resurrectio die novissimo; quod nunc, illustrato contextu, a dubiis nobis est vindicandum.

Quominus concedamus, vss. 28, 29 agere de morali resurrectione¹⁾, multa impediunt argumenta. Jam hanc opinionem redarguit clar. SCHOLTEN²⁾, monens, *ἐκπορεύσεσθαι* dici ēt *τοὺς τὰ φαῦλα πράξαντες* ēt *τοὺς τὰ ἀγαθὰ ποιήσαντες*, neque de his valere *τὸ εἶναι ἐν τοῖς μνημείοις* i. e. in statu mortis versari (sensu morali)³⁾.

Evidem JENTINKIUS, *τοὺς τὰ ἀγαθὰ ποιήσαντας* discernens a *τοῖς πιστευοῦσι*, respondet, illos optime dici posse *εἶναι ἐν τοῖς μνημείοις*, quandoquidem verba illa spectent eos Iesu auditores, qui vocem ejus nunc rejicientes, postea ad Eum accedent, unde his etiam omnino erit vita, sed non statim; et hoc ipsum ei significat resurrectio *κρίσεως*⁴⁾.

Verum enimvero istiusmodi distinctionem nullo exemplo con-

1) JENTINK in: *Jaarbb.* VII, p. 478 sq. *Maranatha*, p. 85 sq.

2) Vid. *Jaarbb.* VIII, p. 444 sq. Cf. VI, p. 438 sq. Cf. NIERMEIJER, *de Joh. Schriften*, p. 142. Quae monet STORRIUS contra anon. in Biblioth. Eichhornii, hic haud minus valent: »... hoc certe per nobis mirum videatur, vitiosis eodem loco, quo ut *mortui ac sepulti* (*οἱ ἐν τοῖς μνημείοις*) »describi perhibentur, ut *'ΕΚΠΟΡΕΥΟΜΕΝΟΥΣ ἐκ τῶν μνημείων* »*εἰς ἈΝΑΣΤΑΣΙΝ* depingi (vs. 29), licet non desinant *mortui* (i. e. »vitiosi, τὰ φαῦλα πράσσόντες) esse, eandemque vocem *ἀναστάσεως*, »quam *beatitatis*, cum *emendatione* animi et morum conjunctae, imaginem »esse vir doctus sumserat, jam subito cum *disjuncta* notione *κρίσεως* »(*miseriae*, cum *vitiis* conjunctae) copulari." Vid. ejus *Opusc. acad.* III, p. 144, ad not.

3) Vid. *Jaarbb.* VIII, l. l.

4) *Maranatha*, p. 85, 86.

firmari ac prorsus ineptam esse, probavit BRIETIUS¹⁾. Accedit
huc quod, comparationem instituentes vs. 25 inter et vss. 28,
29, clare docemur, hic formulam »οἱ ἐν τοῖς μνημείοις“
alio sensu esse intelligendam, quam illic »οἱ νεκροὶ“; etenim
τὸ οὐρανὸν τῆς φωνῆς αὐτοῦ eos, qui in monumentis sunt
(vs. 28), non tantum ad resurrectionem ducet ζωῆς, verum
etiam κοίσεως; aliis igitur alium illud *audire* afferet eventum,
quod vero non valet de *mortuis* (vs. 25), quibus omnibus τοῦ
audire idem exitus erit sc. η ζωή; ergo si vs. 25 de mortuis
agit morali sensu, vss. 28, 29 alio sensu accipiendi sunt, sc.
de mortuis proprie sic dictis²⁾. Hoc argumentum haud minus
valet contra eos, qui, quamquam resurrectionem non morali
sensu cum JENTINKIO intelligunt, hinc tamen loco propriae
resurrectionis notionem abrogent, nec igitur contra ipsorum τῆς
ἀναστάσεως definitioni quid illum probare perhibeant. Inter
hos BRIETIUS quoque figuratam hujus loci propugnavit interpre-
tationem³⁾. At prorsus non video, quomodo unquam dirimi

1) Op. I. I, p. 153.

2) Cf. SCHOLTEN in *Jaarbb.* VI, p. 440.

3) Op. I. p. 144 sq. Non possumus praetermittere quae ad hunc locum
annotatione clar. VAN HENGEL in: *Comm. in 1 Cor. XV*, p. 8,
not. 2. Septem vir ille doctus attigit argumenta, quae postulare ipsi vi-
dentur, ut propria hujus orationis interpretatio figuratae cedat. De sin-
gulis videamus. 1º. »institutum totius orationis«; resp. Institutum orationis
est apologia Jesu adversus Judeos, Eum interficere cupientes, quod Sab-
bathum violaverit ac Deo se ipsum acquiparaverit (vs. 18); huic autem
instituto quomodo minus congrueret provocatio ad potestatem resuscitandi
mortuos proprie sic dictos, quam provocatio ad potestatem suscitandi ho-
mines e morte spirituali, non video. 2º. »ratiocinationis series vs. 17 sqq.
et 30 sqq. hanc vitam spectans«; resp. Transitus a resurrectione e morte

possit, quac contra figuratam interpretationem valet, difficultas, inepta ac futili ejusdem ideae repetitione sic Jesum tollere vo-

spirituali ad proprie sic dictam resurrectionem, ac eo quidem consilio, ut tollatur praevisa objectio, tam apta est, ut ratiocinationis series ne tantillum quidem videatur interrumpi. 3º. »antithesis inter formulas ἀνάστασιν ζωῆς et ἀνάστασιν ξρίσεως, quae cum sententia, totum genus humanum in judicium vocatum iri, conciliari nequit?; resp. Sententiam, totum genus humanum in judicium (ξρίσιν saltem) vocatum iri, Jesus minime professus est; ita enim sibi ipse oblocutus fuisset, affirmans: ὁ πιστεύων... εἰς ξρίσιν οὐν ἔρχεται. 4º. »usns Aoristorum ποιήσαντες et πρόξαντες, non Perfectorum πεποιηθέτες et πεπραγόντες”; resp. Etiam si in definienda Aoristi et Perfecti vi faciat quis cum VAN HENGEL (Comm. I. p. 204), non cum WINERO (Gramm. p. 313), tamen ne sic quidem propriæ hujus loci interpretationi Aoristi obstant; etenim formula οἱ ἐν τοῖς μνημείοις quam significet: »qui id temporis (sc. resurrectionis) erunt mortui”, Jesus spectavit viventes etiam, de quibus omnino dici poterat: bene vel male egerunt, agunt ac agere porgent. 5º. »sensus verborum ἀνοίσονται τῆς φωνῆς αὐτοῦ, quae explicanda esse: audient eum Divinitus annunciantem viam salutis, ex vs. 25 et aliunde apparat”; resp. Clarum est, hoc loco ἀνοίσονται τ. φ. α. aliud quid significare quam vs. 25, ubi ex τῷ ἀνοίσει unice sequitur ἡ ζωή, hic contra, praeter hanc, etiam resurrectio ξρίσεως. 6º. »praecedens illud οἱ ἐν τοῖς μνημείοις, quod non significat: qui erunt in monumentis, sed qui (nunc) sunt in monumentis”; resp. Eodem jure suppleri potest ἔσδεμον atque ὄντες; deinde ἔρχεται ὥρα et futura ἀνοίσονται, ἐντορεύσονται jam indicant tempus futurum; praeterea eadem difficultas premeret interpretationem figuratam; πάντες enim nisi indicaret omnes, quotquot sint et futuri sint, in monumentis peccati, Christus censendos foret, a via salutis hic exclusisse homines, qui post Ipsum viverent. 7º. »verbum ἐντορεύσονται, quo quum homines denotentur iam in vitam revocati atque ita ad execundum parati, sequi non potest εἰς ἀνάστασιν ζωῆς ad homines denotandos in vitam reddituros, ut beatitudinis sunt participes”; resp. Primo concedendum est LÜCKIO (Comm. ad h. 1), vocabulum ζωῆς, antitheseos gratia (ξρίσεως), non significare vitam physicam; tum illa viri docti animadversio confirmat opinionem, ἀνάστασιν ζωῆς, ξρίσεως non idem significare atque εἰς ζωήν, ξρίσιν, quod ultro videbimus. (Ad 7º Cf. LÜCKE monens contra SCHULTESS: alles Tropische und Mahlerische ist im Joh. Style nicht ausgeschlossen).

luisse auditorum mirationem 1). Evidem scio hoc negari, affirmando, mirationis causam quaerendam esse in τῇ οὐσίᾳ, orationemque de morte spirituali versu 26 jam esse finitam 2); at ipsi huic affirmationi revera obloquitur quisquis vss. 28, 29 nihilominus explicet de morte spirituali 3).

Denique BRIETIUS, Aoristos (*ποιησαντες*, *πράξαντες*) premens, sic explicat vss. 28, 29: »quotquot homines Christi vox e peccati monumentis evocet, et quotquot ab hoc inde tempore bene agant, his vita erit; contra, qui nihilo secius male agere pergant, his per hoc ipsum erit η οὐσίας.” 4). At vero neminem potest latere, illi interpretationi inesse contradictionem in adjecto; qui enim *male agere pergunt* non dici possunt evocari e peccati monumentis, neque qui *e peccati monumentis evocantur* nihilo secius male agere pergunt; si enim pergant, *non evocantur*, sin vero evocentur emendantur; evocari enim e peccati monumentis quid est nisi emendari?

Ex dictis satis jam patet, hunc locum nullo modo admittere

1) Vid. SCHOLTEN in *Jaarbb.* VI, p. 440. v. OOSTERZEE, ib. IX, p. 708. Cf. LÜCKE ad h. l.

2) BRIËR, op. l. I, p. 149: »Hierover (nl. de opwekking der zedelijke dooden) was afgehandeld met vs. 26.”

3) BRIËR, ib. p. 150: »een tijdstip zou komen, wanneer alle dooden, alle geestelijke dooden, Zijne stem... zullen *hooren en uitgaan*”, etc.

4) Op. l. I, p. 150: »Zij, die door de stem van den Menschen-Zoon uitgaan uit het graf der zonde, d. i. door de openbaring van het rein menschelijke in Jezus aan zich zelven ontdekt zijn, en van dit oogenblik af het goede doen, zullen opstaan ten leven, d. i. het leven hebben en genieten; maar die in weerwil daarvan, voortgaan met het kwade te doen, zullen opstaan ten oordeel, d. i. daardoor en daarin hunne veroordeeling vinden.”

idoneam interpretationem figuratam, unde sequitur proprio eius
esse explicandum sc. de resurrectione die novissimo.

Superest, ut pauca moneamus de significatione formularum ἀνάστασις ζωῆς et ἀνάστασις οὐρίσεως. Vulgo formulæ illæ ita explicantur, ut significant ἀνάστασιν εἰς ζωὴν, εἰς οὐρίαν¹⁾, quacum vero explicatione non facio. Quamvis enim »ζωῆς» (vs. 29) accipiendum sit non de *vita physica* sed de *vita post mortem beata*, animadversio tamen clarissimi VAN HENGEL²⁾ hec quoque modo valet: »verbum ἐπορεύεται, quo «quum homines denotentur jam in vitam revocati atque ita ad »exeundum parati, sequi non potest εἰς ἀνάστασιν ζωῆς vel »οὐρίσεως ad homines denotandos *in fine demum rerum vitae* »beatae vel miserae futuros participes, quandoqnidem ipse »Christus alibi docuit ὁ πιστεύων ἔχει ζωὴν αἰώνιον, ὁ δὲ »μὴ πιστεύων ἡδη πένθιται.» Propterea Genitivos illos dicere mallem Genitivos *qualitatis*³⁾ quam *destinationis*⁴⁾, formulamque illam vertere »resurrectio *vitae*» etc. quam »resurrectio *ad vitam*» ect. Ἀνάστασις ζωῆς igitur significat talēm resurrectionem, quae pertinet ad τὴν ζωὴν, s. quae τῇ ζωῇ propria est, s. quao τῇ ζωῇ est nota, qua ἡ ζωὴ perspicua sit, patescit; ἀν. οὐρίσεως talēm resurrectio-

1) Cf. WINER, *Gramm.* p. 215.

2) Vid. loc. allatum, ad 7º.

3) Eudem deprehendimus Genitivum in βάστισμα μετανοίας (Mc. I. 4), quem recte MEYERUS dicit: »Genit. der charakteristischen Qualität», quamvis miror hunc Genit. ipsum non applicare. Vid. ejus *Comm.* ad h. l.

4) Vid. WINER o. l. p. 215: »Genit. der Bestimmung.»

nem, quae pertinet ad *τὴν οὐσίαν*, etc. Nec desunt hujusmodi Genitivi exempla; praeter Mc. I: 4 (vid. p. 70 not. 3), Rom. VI: 6: *σῶμα τῆς ἀμαρτίας* i. e. corpus, cuius nota s. qualitas est peccatum, s. quo patescit peccatum¹⁾; eodem modo *ἔργον τῆς πίστεως*, *ἔργα τοῦ σκότους* denotant facta, quibus se manifestat fides vitiositas, al.

His omnibus consequens est, ut locum nostrum sic intelligamus: »omnes mortui olim (i. e. die novissimo) resurrectionis sient participes; probis autem, qui vitae post mortem beatae facti sunt participes, resurrectio erit vitae illi consentanea; improbis, miseram post mortem degentibus vitam, s. *τὴν οὐσίαν* subjectis, resurrectio erit miserae huic vitae congruens.”

Accedimus ad Joh. VI: 39, 40, 44, 54. His quoque locis loquitur Jesus de resurrectione proprie sic dicta, i. e. die novissimo; quod vero minime omnes concedunt. Alii enim hisce nixi enunciatis aliam resurrectionis notionem propugnant, a quibus clar. SCHOLTEN eatenus distat, quod verba *ἐν τῇ ἐσχάτῃ ημέρᾳ*, quae doctrinae in Ev. Joh. propositae ipsi videntur repugnare, glossarum instar abjici jussit²⁾.

Ante omnia igitur nobis videndum est, possitne idonea adduci causa, qua verba illa Jesus hic addiderit; quod si ita est, formulas illas retinere jubemur, quum praeterea illa

1) Recete BRETSCHNEIDER (Lex. ad v. *σῶμα*) sic circumscribit: »corpus quod peccati est, peccati quasi mancipium.” Ita et ἀν. ξωῆς circumscribi potest: »talis resurrectio, quae vita est mancipium.”

2) Vid. Jaarbb. VIII, p. 431 sq.

interpolationis hypothesis nullo argumento confirmetur externo^{1).}

Novimus, Judaeos exspectasse mortuos (vel pios, vel omnes Israel.) resurrecturos in adventu Messiae; fac autem, Jesum formulam illam loquendo emisisse, nec igitur quid Eum dixisse nisi ».... ἀναστήσω αὐτὸν (αὐτὸ) ζyw», nonne hoc effatum auditoribus significasset: »ego, Messias, jamjam eximium »illud portentum vobis spectandum praebebo, quandoquidem »mortuos, quos in adventu Messiae resurrecturos exspectatis, »e sepuleris mox evocabo»; nonne ita Magister sapientissimus ac veracissimus errores confirmasset, quos ipsos, si quid efficeret vellet, radiciter eruere Eum oportuit? Hac jam e causa verba illa omnino ipsi erant addenda; neque auditorum solum, sed veritatis, s. ipsius rei, etiam gratia; etenim semel atque iterum jam audivimus Jesum mortuorum resurrectionem in fine rerum docentem, neque igitur aliam notionem hic eum enunciasse concedimus. Attamen audienda sunt argumenta, quae contra hanc resurrectionis notionem loci memorati nonnullis videantur praebere.

Primo videamus de iis, quae pro moralis hujus loci resurrectionis explicatione attulit clar. SCHOLTEN. Primo affirmat, de ea, quae cap. V: 28, 29 proponitur, resurrectione hic non posse cogitari, quandoquidem h. l. beneficium τῶν πτερενόντων dicitur resurrectio^{2).} At vero, quamvis resurrectio

1) Vid. quae contra SCHOLTENIUM hac de re disputavit STORT, in *Jaarbb.* XI, p. 491 sq. Cf. BRIËT, Op. I. I, p. 92 sq., 154 sq.

2) Vid. *Jaarbb.* VIII, p. 444.

nonnullis revera futura sit beneficium, ceteri, quibus erit *ἀναστοσης*, nequaquam hic excluduntur.

Tum objicitur: »*ἀναστήσω αὐτὸν* oppositum est verbis »*μὴ ἀπολέσω ἐξ αὐτοῦ*; *ἀπόλλυσθαι* autem quo hic est con-textu, quoniam significet perire (sensu morali), antitheseos vis postulat, ut sensu morali quoque sumatur verbum *ἀναστήσω*¹⁾. Hanc vero objectionem tollit doct. NIERMEYERI²⁾ animadversio, id nimirum, quod jam nunc fit, augeri tamen in Parousia (h. l. *ἐν τῇ ἐσχ. ἡμέρᾳ*). Summum igitur vitae beatae cul-men h. l. indicat *ὅτι ἀν. ἐν τῇ ἐσχ. ἡμ.,* neque ita deest apta *τοῦ ἀπόλλυσθαι* antithesis.

Denique negandum est, a Jesu hic doceri (vss. 39, 40): »quisquis verae vitae velit particeps fieri, a Christo antea est resuscitandus³⁾. Vocula enim *γὰρ* (vs. 40) quum non de verbis tantum *ἀναστήσω αὐτὸν* (vs. 39), sed de toto versu 39 reddat rationem, Jesus docet, Patris voluntatem, versu 39 descriptam, nisi altera hacce Patris voluntate: *ἴνα πᾶς οὐ θεωρῶν τὸν οἶνον κ. τ. λ.* (vs. 40). Minime igitur h. l. docemur, vitam aeternam sequi resurrectionem, contra, vitam aeternam quum hac jam in terra consecutus sit *οὐ πιστεύων*, et resurrectionis particeps sit in fine demum rerum, haec illam tempore praecedit, quod diserte hic etiam enunciatur. Prae-

1) Ibid. p. 445.

2) Joh. Schriften, p. 147.

3) Jaarbb. VIII, p. 446. Cf. quae contra SCHOLTEXIUM haec de re dis-putavit BRIËT, o. l. I, p. 156 sq.

terea, ne in errorem duceret Dominus auditores falsasque eorum exspectationes confirmaret, verba: *καὶ ἀναστῆσω αὐτὸν ἐγὼ ἐν τῇ ἑσχῇ ἡμῶν.* (vs. 40) necessario erant addenda, quod hic eodem fere modo explicatur atque versu praecedenti. Neque vs. 44 verbis *καὶ γὼ ἀναστῆσω αὐτὸν ἐν τῇ ἑσχάτῃ ἡμέρᾳ* propositum est, indicare beneficium *τοῦ πιστευόντος*, sed additamentum sunt necessarium; idem valet de versu 54, ubi eadem illa verba quemque Israelitam mox perspicere sinant, vitam illam *αιώνιον* non esse beatam ipsam, quam exspectarent, vitam in regno Messiano terreno, sed veram incorruptibilemque vitam spiritualem; quod eo quidem perspicere poterant, quod morti physice tamen subjectus erit ac die novissimo demum resurrectionis particeps quisquis vitam illam *αιώνιον* consecutus fuerit. Neque contra eam, quam propugnamus, resurrectionis notionem quid probat vocabulum *γάρ* (vs. 55), quo scilicet nec *τὸ ἔχειν ζωὴν αἰώνιον* solum, nec *τὸ ἀναστῆσω* absque hoc¹⁾, sed unum atque alterum illustratur; quodsi resuscitari sumnum indicat culmen *τοῦ* habere vitam aeternam, ut supra vidimus, vs. 55 optime convenit in cogitata praecedenti versu expressa.

Singulis nunc enunciatis (cap. VI) illustratis, paucis verbis dicta complectentes docemur, haud parva Judaeis Jesum aperruisse semel atque iterum adjacentem verba illa: *ἐγὼ ἀναστῆσω αὐτὸν ἐν τῇ ἑσχῇ ἡμῶν.* sim., quac universe huc redeunt: semet ipsum Jesus iis denunciat Messiam; verum enim vero

1) Vid. *Jaarbb.* VIII, p. 452.

salus, ab ipso afferenda, multis nominibus ab ea, quam auditores exspectant, salute erit diversa; neque enim, quamvis adsit Messias, resuscitabuntur mortui, nec magis, quod Judaei speraverant, una cum mortuis in vitam revocatis viventes cum Messia hac in terra imperabunt; resurrectio enim mortuorum die demum novissimo eveniet, quod Judaeos, dummodo Christi verborum haberent rationem, non potuit latere ¹⁾, haud magis quam, quae ipsis esset, salutis terrenae, viventibus afferendae, spei vanitas.

Ergo et in textu retinenda sunt verba ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ, et una, quam exposuimus, resurrectionis stare potest notio. Etenim, ne repetamus quae antea de accommodatione adhibenda formaliter justisque huius finibus constituendis protulimus, figuratam resurrectionis interpretationem ad vagam inconstantemque ducere hujus rei definitionem, vel etiam ad definitiones repugnantes, exempla docent. Ita e. g. JENTINKIUS, cui ἀνάστασις vulgo significat *moralement vitæ suscitationem* ²⁾,

1) Probe GÜDER, *Erscheinung Christi unter den Todten*, p. 90: »Die zur Zeit Christi unter den Juden gangbare... Vorstellung von zweien... Weltaltern, mit der Erscheinung des Messias... in ihrer Mitte, musste in Folge der Art und Weise, wie jetzt Christus faktisch erschienen... war, für die neutestamentliche Anschauungsweise nothwendig eine solche Umbildung erfahren, dass der ganze Zeitraum von der erstmaligen Erscheinung Christi bis zu seiner Wiederkunft noch innerhalb des αἰώνος zu liegen kam... Den Abschluss... des letzten Zeitraums der erste Weltempo... führt die herrliche Wiederkunft Christi, des Todtenerweckers, herbei, welche unter die Kategorie der Zeit gestellt, auf die ἐσχάτην ημέραν verlegt ist.“

2) Vid. *Maranatha*, p. 101 et passim. Cf. *Juarbb.* VII, p. 454 sq. Cf. BRÖTER, o. l. p. 158.

locis modo a nobis spectatis, eandem hanc vocem interpretatus est: *vitam consummatam, vitac perfectionem* ¹⁾. Quae vero definitiones quantum inter se distent, alterique altera repugnet, facile perspicitur; *ἀναστῆναι* enim si significat: *perfectam reddere vitam moralem* (i. e. vita moralis jam antea suscitata, sed nondum perfecta), quomodo simul significare possit: *suscitare vitam sensu morali* (i. e. excitare id quod nondum aderat), non video. Praeterea dubito, an ullo in homine vita moralis perfecta reddatur *hac jam in terra*; JENTINKIO autem teste, *ἡ ἐσχάτη ημέρα* quum ante hominis mortem una cum resurrectione jam adsit, hac in terra nonnullis perfecta redditur vita moralis ²⁾.

Nulla igitur sibi ipsi constare potest resurrectionis notio,

1) *Maran-atha*, p. 104.

2) Neque BRIETIUS hac in re sibi constare videtur. Vulgo enim *τὴν ἀνάστασιν* sic circumscribit: »Het woord *opstanding* is slechts beeld, onder hetwelk wordt aangeduid het voortbestaan van den mensch naar zijn geheele wezen na den dood, uit den toestand der aardsche vergankelijkheid tot een nieuw, hooger, onsterfelijk leven in gemeenschap met God, en in een voor dat leven geschikt organisme»; nunc autem cum WETTIO eandem vocem explicat: »die Auferstehung — das ewige Leben... ist der letzte Zweck des Heilswerkes» (o. l. p. 159) s. *vitae plenitudinem* (ib. p. 160), quod philosophando sic vindicat: »Kan er geen waar leven voor den eindigen mensch gedacht worden zonder persoonlijk bestaan, deze *uitwendige zijde* des levens ontvangt hij eerst aan gene zijde des grafs» (ib. p. 159), ubi igitur *αὐτὸν* ei significat: *de uitwendige zijde des levens*. At vero, ne dicam, istiusmodi conclusionem nimis philosophicam souare in oratione, quam Jesus hic habuit, *populari*, ejusque verba acnigmatibus sic aequiparari ratione habita auditorum, valde dubito an etymologice etiam *ἀναστῆσον* *αὐτὸν* significare possit: *dabo ei vitae plenitudinem*.

neque ulla, omnium rerum habita ratione, apta videtur, nisi ca, qua statuatur futura die novissimo, proprio sensu.

Jam videamus de resurrectionis *amplitudine*, i. e. de quæstione, num Christus docuerit omnium, an vero paucorum, universalem igitur an particularēm resurrectionem.

Jesu hac de re effata spectantibus forsan sibimet ipsi contradixisse Dominus videbitur, modo omnium, modo paucorum resurrectionem quum videatur profiteri. Illa vero repugnantia revera non adest ac facile dirimitur, singulis locis probe illustratis.

Ac primo quidem hic in censem venit locus Joh. V: 28, 29, a quo resurrectionis universalitas, qualicunque tandem sensu illa sumatur, nulla prorsus ratione removeri potest. Quod vero conatus est i. a. JENTINKIUS affirmans *πάντες* h. l. verti posse *plurimi*; quae vero explicatio quam maxime repugnat contextui et grammaticae regulis. Etenim egressuri dicuntur qui bene et qui male egerint, i. e. omnino omnes; tum *πάντες*, sequente articulo, indicat omnes sensu relativo, i. e. omnes eos, quos artculus accuratius definit, s. omnes, qui sunt in eodem loco, statu, tempore etc. ¹⁾; hoc loco artculus *οἱ* (vs. 28) accuratius definit *πάντες*, quo igitur omnes omnino spectantur, qui sint in monumentis. Ceterum restrictio illa *τῶν πάντων* euicunque, praetudicatis opinionibus non capto, tam contorta videatur necesse est, ut non fusius de ea dicamus.

1) Vid. Lexx. Cf. WINER, o. I. p. 133: »Im Plural steht bei Substantiven mit *πάντες* etc. im N. T. überall der Artikel, wo das Subst. eine bestimmte Klasse von Dingen... bezeichnet.“

Paulo facilius rem suam vindicare conatur BRISTIUS, cuius resurrectionis definitioni obstat hic noster locus, quandoquidem ei obstet resurrectionis universalitas. Etenim vir ille doctus, de resurrectionis *amplitudine* agens, plane hunc locum omittit, vel saltem, ad praeccidentia referens, uno verbo eum attingit¹⁾. Eo vero loco, quo Joh. V: 28, 29 explicantur, nihil lego, quod vindicet sententiam, qua non omnes resurrecti statuuntur, contra diserte oppositam sententiam deprehendo enunciatam²⁾. Neque profecto hic noster locus jure potest negari omnium mortuorum resurrectionem aperte docere³⁾.

Contra resurrectionis universalitatem nihil probare possunt loci e Joh. VI spectati; minime nego, Christum hisce enunciatis affirmare, credentes ab ipso resuscitatum iri *εν τῇ ζωήτῃ γηέρῃ*, neque non concedo, horum resurrectionem aequiparari eventui laeto et beneficio, sed resurrectionem ad hos esse restringendam haud magis inde patet quam vanitas theseos, e Joh. V: 28, 29 petitae, resurrectionem improbis contrarium futurum esse eventum ac probis⁴⁾. Plura hac de re in Ev. Joh. non inveniuntur.

Neque Synoptici multa offerunt, quae de resurrectionis am-

1) Vid. o. I. p. 163.

2) Vid. op. I. I, p. 150: »Hij verzekert hun, dat er vroeg of laat een tijd... zou komen, wanneer alle dooden, alle geestelijke dooden... zullen uitgaan.”

3) Cf. SCHOLTEN in *Jaarbb. VI*, p. 441, VIII, p. 445.

4) Cf. SÜSSKIND, *Bemerkungen über die Aussprüche Jesu etc.* in FLATTUS *Mag. X*, p. 154.

plitudine nos possint reddere certiores. Quae enim de altera vita, de statu post mortem, sim. hic praedicantur, nobis praetermittenda sunt, quandoquidem ab illis *τὴν ἀναστάσιν* omnino discrevimus. Hic ergo in sensum veniunt Luc. XIV: 14, Luc. XX: 35 (l. par.). Priorem locum spectantes facile perspicimus, nullum ei inesse contra resurrectionis universalitatem argumentum. Omnino concedendum est, nonnisi de resurrectione *τῶν δικαιῶν* hic agi, sed recte animadvertisse WEIZELIUS¹⁾, Jesum de remuneratione benevolentiae hic verba facere, neque igitur contextum loci ferre, ut de omnium loqueretur resurrectione; itaque improborum resurrectio minime hic excluditur, contra verba illa addita *τῶν δικαιῶν*, si quid significant nec prorsus abundant, improborum quoque resurrectionem tacite ponunt²⁾.

Alterum locum (Luc. XX: 35) quod attinet, huic majori jure consequens videri posset paucorum, non omnium, resurrectio, quod alii aliter explicarunt. Ita e. g. OLSHAUSENIUS³⁾, urgens praepositionem *ἐν*, de resurrectione *prima* hic sermonem sieri affirmat; quocum fere convenit MEYERUS⁴⁾. Verum enimvero, primam et secundam resurrectionem (temporis ordine) quam alibi nusquam deprehendam a Christo professam, dubito an hacc distinctio jure fiat; praeterea hanc explicationem con-

1) *Stud. u. Krit.* 1836, p. 621. Cf. p. 907.

2) Recte MEYER, *Comm.* ad h. I.: »Sonst wäre *τῶν δικαιῶν* ein entbehrlicher und beziehungsloser Zusatz.”

3) *Comm.* ad h. I.

4) *Comm.* ad h. I.

textus magis refellit quam propugnat; etenim Sadducaeorum quaestio de resurrectione universe agens, nullam praebet causam, cur de prima (s. quod viri illi sibi volunt, de proborum) resurrectione loqueretur Dominus. Propterea haud magis rem tetigisse censendus est MÜLLERUS¹⁾, ipsum contextum rem dirimere sibi visus, nullamque affirmans adesse causam, qua, adversus Sadducaeos scepticos, duplice resurrectionis Christus spectaret formam. Paulo igitur accuratius nobis spectandus est hic locus, missis autem locis parallelis (Mt. XXII: 30, Mc. XII: 25), ubi nimirum universe de mortuorum resurrectione sermo est, quod omnino notandum. Fac autem, Lucam accuratius quam alteruter locus par. nobis tradidisse ipsa Jesu verba, quod fieri posse concedendum est²⁾, etiam sic tamen nego conclusionem, a resurrectione excludendum esse mortuorum ullum. Quamvis enim minime non concedam, resurrectionem, de qua hic agitur, spectare probos solum atque indicare beneficium, quod continget iis, qui digni habendi sint „saeculo futuro”, inde tamen minime sequitur, resurrectionis universalitatem Jesum negasse; neque enim oratione aliquid non memorare idem est ac negare. Tum ipsum locum insipientes

1) *Stud. u. Krit.* 1835, p. 748.

2) Propterea nimis artificiose et hypothetice rem illustrasse censendus est WEIZELIUS (*Stud. u. Krit.* 1836, p. 620), ita explicans, ut statuat, aeo seriori apostolico quo, Evangelium Lucas conscriptum sit, (Christi fautoribus tempori illi tristissimo) consequens fuisse, ut laetam potissimum τῆς συντελεῖας αἰώνος partem, i. e. τῆς ἐποικυρωσεως atque proborum igitur resurrectionis spem ante oculos haberent ac prae ceteris expromerent, missa facta τῇ οὐρανῷ una cum improborum resurrectione.

mox docemur, verba τῆς ἀναστάσεως τῆς ἐν νεκρῷ sumenda esse sensu praegnanti i. e. — resurrectio ζωῆς, nec frusta quaeri causam, qua hoc tantum sensu illo de eventu hic sermo sit. Etenim Sadducaeorum ineptam quaestionem, qua hominum resuscitatorum conditionem conditioni terrenae plane aequiparent, quum rejiciat Christus ac hisce quidem verbis eam reprehendere incipiat (cui sane dicendi exordio ipsa Sadd. disputatio praebet ansam): »οἱ νιοὶ τοῦ αἰώνος τούτου“ etc., antithesis: »οἱ νιοὶ τοῦ αἰώνος ἐπείρου“ ita in promptu est, ut, nisi omnis orationis vis tolleretur nexusque dirimeretur, verba illa non possent non sequi; vita autem saeculi futuri quam non Judaeis tantum, verum, mutandis mutatis, Christo etiam vitam significaret beatam, cuius nonnisi pii fierent participes, hinc consequens fuit, si de resurrectione deinde sermo esset, ut hac quoque in causa piorum tantum haberetur ratio; sic igitur ipse cogitationum nexus orationisque ipsa indoles sponte sua explicant qua de causa nonnisi piorum resurrectionis mentio fiat, ac simul probant, contra resurrectionis universalitatem nullum hoc loco confineri argumentum.

Denique animadvertendum est, verba τῆς ἀναστάσεως τῆς ἐν νεκρῷ quum sequantur »τοῦ αἰώνος ἐπείρου“, non comprobare vulgarem Judacorum sententiam,pios primo esse resuscitandos ut regni Messiani futuri essent participes, resurrectionem igitur aperire regnum Messiae¹⁾; contra eam indicant resurrectionem, quae vitae in regno Messiano coelesti beatae

¹⁾ Nullo igitur jure MEYERUS, al. hic deprehendunt prothysteron.

consequens erit, i. e. τὴν ἀναστάσιν ζωῆς. Hic igitur antitheticae orationis parti est sensus: »qui vero digni habeantur vitam consequi regni Messiani beatam et, quae inde sequitur, resurrectionem vitae, in matrimonium nec ducunt nec ducuntur; neque enim mori etiam possunt, nam angelorum naturae spiritualis sunt participes et filii Dei (et spiritualis igitur naturae) filii resurrectionis (vitac) existentes.”

Et haec quidem sunt, quae de resurrectionis amplitudine in Evangelii inveniuntur¹⁾. Christum igitur semel atque iterum resurrectionis universalitatem quum audiverimus profitentem, nusquam vero ei obloquentem, jure constituere licet: omnes mortui resurrectionis aliquando fient participes.

Duae adhuc restant quaestiones, ac prior quidem de modo, quo mortui resurrectionis olim fient participes; qua vero de re ne tantillum quidem nobis assert lucis Christi institutio. Hoc unum novimus, futurum esse, ut mortui illo resurrectionis tempore *audiant* vocem Messiac, resurrectionis auctoris, unde unice effici potest, mortuos vivere; etenim, quousque hujusmodi loquendi formulae, *audire vocem* et sim., proprie sint sumenda, quousque forsitan plastica dicendi ac populari docendi ratione explicandae, quum non ii simus qui maxima cum fiducia definiremus, plura hac de re haud facile possunt constitui. Quod magis etiam valet de altera quaestione, nempe

1) Luc. XI: 32 (loc. par.) omittimus, quum *ἀναρέσσεται* h. l. explicandum videatur: *in medium proibunt*, potius quam *resurgent* (*proprio sensu*).

de resurrectionis *fine*; hac nimirum de quaestione nullam prorsus Evangelia tradunt disertam Christi institutionem. Resurrectio autem mortuorum quum iterata vice arte conjuncta proponatur cum hujus acvi die ultimo et *r̄n nōlōet*, conjici licet, haud sine magno rerum discrimine hunc eventum esse futurum.

CONCLUSIO.

Nunc igitur interpretatione omnium Jesu effatorum, quae ad doctrinam de resurrectione mortuorum pertinent, prorsus absoluta, sparsa quae singulis locis explicandis cognovimus, summa breviter complectemur.

A. Mortuorum resurrectio non est mortuorum in vitam revocatione; vita enim post mortem neque extinguitur, nec sopor est aequiparanda; haud magis est hujus nostri corporis restitutio sive ejus cum anima nova conjunctio; neque enim anima sola vivere pergit, sed homo, i. e. persona s. τὸ ἔγω. Resuscitatur igitur homo, ac existendi ejus et vivendi, quam resurrectio affert, ratio ea quidem erit, quae angelorum naturae spirituali sit similis.

B. Resurrectionis tempus minime tempus est, quo homo hac in terra particeps fiat vitae moralis resurrectionis; haud magis statuendum est statim post corporis mortem. Eveniet enim resurrectio mortuorum in ultima hujus aevi terreni parte, i. e. ea, quae vulgo dicitur dies novissimus.

C. Omnes omnino mortui illo tempore resurrectionis erunt participes.

D. Omnibus tamen mortuis non eadem erit resurrectio; aliis enim erit resurrectio vitae, aliis resurrectio judicii.

E. Hujus mortuorum resurrectionis universalis Christus erit auctor.

Et haec quidem sunt, quae, Evangelii testibus, de mortuorum resurrectione jure certoque constitui possunt. Quodsi autem quaeritur, quaenam hujusmodi resurrectionis sit significantia vel necessitas, respondere licet hisce SCHOTTII verbis¹⁾:

»...omnino non esse hominis, ea tantum consilia atque decreta
 »Numinis Supremi necessaria existimare, quorum necessitatem
 »ratio humana sponte agnoscere sibi videatur. Nemadmodum
 »Deus sapientissimus homines in hoc statu terrestri versantes
 »ab uno gradu cognitionis et perfectionis ad alterum attollit,
 »ita etiam nihil, quod vel naturae hominis, vel virtutibus Dei
 »repugnet, in eo deprehendi potest, quod idem Deus, eandem
 »(ut ita dicam) gradationis legem sequutus, aliquando quemvis
 »hominem, postquam animus organo quodam instructus inde a
 »morte hujus corporis usque ad tempus resurrectionis... in
 »statu quodam vitae peractae accommodato versatus fuerit, per
 »resurrectionem illam.... in ejusmodi conditionem translatus
 »rus sit, quae" in cuiusque hominis post mortem fata maturanda maximi erit momenti. »Judicium divinum, cui nos
 »omnes obnoxii sumus, statim post mortem incipit. Consummabitur olim", quonam vero tempore, hoc cognoscere nobis non contigit; at vero ad consummationem illam multis nominibus adducetur eo tempore quo omnes, quotquot futuri sint, mortui resurrectionis erunt particeps.

¹⁾ *Comment. in eos J. C. sermones, qui de reditu ejus ad judicium futuro et iudicandi provincia ipsi demandata agunt*, p. 417.

T H E S E S .

1

Jure STORRIUS (*Opusc. Acad.* I, p. 257) monet, scriptis talmudicis uti nobis licere non tam ad probandum, has illasve notiones fuisse Judaismo proprias, i. e. Christi tempore apud Judaeos viguisse, quam ad illustranda et confirmanda ea, quae aliunde certa fuerint et explorata.

三

Nequaquam constat, loquendi formulam ἀνάστασις εν τῇ ἐσχάτῃ ᾧ μέρᾳ fuisse Judaeis, Christi tempore viventibus, usitata.

三

Materialismi denominatio, dummodo id temporis jam fuisse inventa, omnino convenisset in Sadducaeorum philosophema de hominis post corporis mortem conditione.

IV

Assentiendum est Cl. SCHOLTENIO, τὴν ἐσχάτην ἡμέραν α
ταῖς ἔργάταις ἡμέραις discernenti.

五

Jesus minime docuit carnis resurrectionem

VI.

Mortuorum, quam Jesus docuit, resurrectione neque significat peccatoris resurrectionem moralem, nec statim post ejusvis hominis mortem, sed in fine demum rerum terrenarum, statuenda est.

VII.

Omnium omnino mortuerum Jesus docuit resurrectionem.

VIII.

Mortuorum, qualem descripsi, resurrectione quamvis rationis principiis non possit probari, nequaquam tamen iisdem obversatur.

IX.

Qui hominem non statim post corporis obitum vivere statuant, veram immortalitatis notionem tollunt.

X.

Etsi crassam, quae rationalismo placuit, accommodationis theoriam omnes fere theologi nunc aversantur, ad ipsum tamen istum rationalismum reducere contendo, quae a multis (e. c. a BRÜTIO, *de Eschatologie*, I, p. 145 et passim) nunc exponitur et applicatur, accommodationis theoriam, nisi accuratius discernatur inter *dissimulationem* (quae errores non impugnat) et *simulationem* (qua errores repetuntur docteriorisque sermonibus usurpantur).

XI.

Ethices Christianae regulis adversari censendus est orator sacer, qui, *τὴς ἀποκαταστάσεως παντῶν* dum existit fautor contrarium tamen minetur auditoribus, applicatis hisce Cl. SCHOLTENII verbis: »... waardoor hij“ (sc. peccator) »derhalve reddeloos verloren gaat“ (L. d. H. K. II, p. 551, ed. 3^a).

XII.

Qui 2 Tim. II: 18 dicuntur favisse sententiae, τὴν ἀνάστασιν ἡδη γεγονέναι, resurrectionem intellexisse putandi sunt de hominis emendatione morali.

XIII.

Joh. III: 14 verbum ὄψισθηναι non proprie tantum (*in allum tolli*), verum tropice etiam (*ad dignitatem, honorem, evchi*) intelligendum est.

XIV.

Recte VINET (*Homilétique* p. 453, ad not.), respiciens oratores sacros: »Nous sommes à la fois les gardiens des bonnes maximes et du bon langage.” Propterea vituperandi sunt ii, qui in oratione sacra impolito radique utantur loquendi genere, etiamsi indoctos rudesque homines sciant auditores.

XV.

Probanda est Augustini definitio, miraculum non esse contra naturam, sed contra quam est nota natura.

XVI.

Assentiendum est Cl. HOEKSTRA (*Vrijheid* etc., p. 337), affirmanti: »De absolute zondeloosheid van Jezus is niet denkbaar, tenzij als een wonder.”

XVII.

Joh. V: 25 de resurrectione spirituali intelligendum est.